



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

Historiæ Pelagianæ Liber Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)



HISTORIÆ PELAGIANÆ LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Origenes Pelagiana Secta Princeps.

Pelagianæ hæreseos primordia quidam altiùs deducentes parem eandem Orbis natalibus dixerunt, non ut illi quidem ex originis antiquitate, ut in urbium ac regnorum initiis, à præclaris quibusque scriptoribus fieri mos est, aliquod nobilitatis pondus adjicerent, sed ut execrabilis sectæ jam inde ab Orbe condito humano generi insidiatæ infamiam posteritati propagarent. Angelorum rebellantium, ac primorum hominum facinus recolunt, cum utriusque divinæ providentiæ auxiliis exclusis, propriorum bonorum auctores sibi & esse, & dici, detestandâ superbiâ voluere. Hunc quidem errorem vix nato homini malis dæmonis artibus instillatum Philosophorum celeberrimi, quos Stoicos dixere, acutissimis disputationibus promoverunt, dum cæteris Numini votis remissis, uni virtuti per nos nobismet comparandæ sedulo insudandum esse docuere. Hinc nihil magis in eorum scholis decantatum, quàm ad optima quæque capessenda hominem sibi sufficere, partamque ex virtute laudem nequaquam nos cum Deo partiri, qui in illius societatem nobiscum profecto venire non possit. Hæc quidem uti eleganter, ita impiè inculcat Dialogista apud Tullium lib. 3. de Natura Deorum: *Atque hoc quidem, inquit, mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ à Diis se habere, virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit.* Uti verò Patres, qui Pelagianam hæresim scriptis oppugnarunt, ex gratiarum actione, quas ob accepta animi bona Deo referimus, à Deo nobismet eadem collata ineluctabili argumento probarunt, ita Stoicus ille aliâ prorsus viâ pergens, *Num quis, inquit, quòd bonus vir esset, gratias Diis egit unquam? At quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis, Jovemque Optim. Maxim. ob eas res appellat, non quòd nos justos, temperatos, sapientes efficiat.* Concinit huic alter ejusdem dogmatis

professor Seneca, hæc ad Lucilium scribens Epist. 20. *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis.* Itaque cæterorum bonorum vota Deo illi remittebant, ad parandas verò animi dotes unumquenque sibi sufficere dicebant, solamque desidiofis, atque inertibus voluntatem deesse. Et hoc quidem Stoicæ sectæ dogma fuit, ex quo veluti fonte Pelagianas lacunas derivasse Hieronymus non uno loco affirmavit. In proemio lib. 4. Comment. in Jerem. scribit: *Hæresis Pythagoræ, & Zenonis ἀπαθείας & ἀναμάρτητος idest impassibilitatis, & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus Crunio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, caput reviviscere.* Et initio Epistolæ ad Ctesiphontem testatur, hæresim Pelagianam omnium hæreticorum venena complecti, quæ de Philosophorum, & maxime Pythagoræ, & Zenonis Principis Stoicorum fonte manarunt. Cæterum harum rerum historiam tam altè repetere non vacat, mihi enim decretum est, ab his Scriptoribus Pelagianæ hæreseos initia auspicari, qui cum Christianæ religioni nomen dederint, pravas de divinâ gratiâ, atque humano arbitrio doctrinas asserentes sectæ fundamenta jecere.

Hæresis, quæ à promotore Pelagio nomen postea sortita est, Auctorem habuit Origenem Adamantium Alexandrinum virum satis suo nomine famosum. Hic, ut Lerinensis cap. 23. Commonit. verbis utar, *dum gratiâ Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibi que satis credit, dum parvipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cuilibet sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnit &c.* omnium penè hæreticorum Magister evasit. Justinianus Imperator in literis ex Synodi sententia contra Origenem publicatis, quas Vigilus Papa, cæterique Patriarchæ, teste Liberato Diacono Breviarii cap. 23. subscribere, vocavit Origenem Paganorum, Manichæorum, & Arianorum Doctorem; & Theophilus Alexandrinus Antistes Epist. 1. Paschali Origenem *hydram omnium hæreseon ignominia causâ nuncupavit.* Nec injuriâ: etenim ille ingenio, quo acutissimo, ac

A sub-

subtilissimo polluit, velificatus more Academicorum in utramque partem sæpè disputans, diversafque in sacras literas interpretationes exarans ea problemata statuit, quæ subsecuti postea Hæresiarchæ sedulo excipientes, quò tanti viri patrocinium ostentarent, suorum errorum veluti fundamenta posuere. In hujus gloriæ partem unà cum cæteris venerunt Pelagiani, qui in Origenem natales suos referunt. Hieronymus, ex magno Origenis laudatore maximus postea ejusdem accusator, in sine Dialogorum Adamantium Pelagianorum *Anasium*, & in Epistola ad Ctesiphontem Pelagiani erroris *Principem* dicit, ibidem contra Pelagium exclamans: *Doctrina tua Origenis ramusculus est.* Tantum autem Pelagiani Origeni suo detulerunt, ut in omnibus unius Origenis auctoritate ducerentur, quod in calce dialogorum dixit laudatus Pater; *Transite ad Anasium vestrum, qui præterita in cælis, & antiqua delicta solvi dicit in baptismo, ut cuius in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Nusquam verò pejus Origenes audivit, quàm in libris Peri-archon, sunt enim ex erroribus confarinati, quorum syllabum recitat Hieronymus in Epistola ad Avitum. In eis non modò Pelagianis ova fovit, sed pullos certè exclusit. Etenim divinæ gratiæ munificentiam illis in libris penitus è medio sustulit, ne Deus personarum acceptor videretur; unde omnia Deï munera ex meritis suspendit, quæ postea Pelagiani grandioribus tibiis cecinere. Dabo Origenis loca insigniora, neque enim vacat per singula discurrere.

Tria præcipua fuere Pelagianorum paradoxa, quibus universum dogma innixum fuit; paucis illa insinuat sanctus Augustinus libro de *Dono persever.* cap. 2. *Tria sunt, ut scitis, quæ maximè adversus eos Catholica defendit Ecclesia; Quorum unum est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita universa iustorum. Alterum est, in quantacunque iustitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.* Origenes capitalem Pelagii sententiam, nempe gratiam Dei secundum merita dari, tam altè asseruit, ut certè illius sententiam Pelagius ipse mitigaverit, adeoque longè isto pejus Origenes locutus est. Imprimis Angelos non ex divina gratia in excellentiore hierarchia locatos fuisse docuit, sed cum patres à Deo effecti fuerint, ex propriis meritis hos præ aliis nobiliora dona, locumque sortitos finxit. Ita fatur lib. 2. Peri-archon cap. 9. *Verum quando rationabiles ipse creature, sicut frequenter ostendimus, & suo loco iterum ostendimus, arbitrii facultate donatæ sunt, libertas unumquemque voluntatis suæ, vel ad profectum per imitationem Dei provocavit, vel ad defectum per negligentiam traxit.* Hinc etiam Dæmones posse ad meliorem frugem converti, si velint, affirmare non dubitavit: *Et est altissimus, inquit, iste ordo rationalis creature, quæ se ita præceptis nequitie dedit, ut revocari nolit magis, quàm non possit, dum scelerum rabies jam libido est, & delectat.* Lib. 1. cap. 8. ubi iterum pluribus contendit, Angelos diversa officia promeruisse ex suis quæque meritis & studiis. Gratiam verò etiam hominibus ex meritis dari probat lib. 1. cap. 7. ubi ex meritis ipsum Joannem Baptistam in utero

matris sanctificatum fuisse commentatur. Etenim inde contendit, non unà cum corpore Baptistæ animam factam fuisse, quia jam antea illa sanctificantem gratiam promeruerat: *Quomodo, inquit, cum corpore simul facta est, & plasmata etiam illius anima, qui antequam in utero formaretur, notus esse Deo dicitur, & antequam de vulva procederet, sanctificatus est ab eo? Ne forte non iudicio, nec pro meritis replere aliquos Deus videatur Spiritu Sancto, & sanctificare, non merito.* Et quomodo effugimus illam vocem, quæ ait: *Nunquid iniustitia est apud Deum? Absit: vel illud, Nunquid personarum acceptio est apud Deum? Hoc enim consequitur eam defensionem, quæ anima subsistere simul cum corporibus asseratur.* Ecce uti planè absurdum reputat Adamantius, aliquem à Deo sanctificari sine merito, ne Deus & iniustus, & personarum acceptor iudicetur: quæ postea Pelagiani altiori voce declamarunt. Pessimè verò contra divinam gratiam disseruit lib. 2. cap. 6. ubi maximam gratiarum, nempe unionem hypostaticam ex præcedentibus assumpti hominis meritis datam fuisse scripsit, quod Pelagius asserere non est ausus: *Quòd autem, inquit, dilectionis perfectio, & meriti affectus sinceritas ei hanc inseparabilem cum Deo fecerit unitatem, ita ut non fortuita fuerit, aut cum personæ acceptione ejus animæ assumptio, sed virtutum suarum ei merito delata, audi ad eum Prophetam dicentem, dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ, id est anima Christi cum Verbo Dei unum efficitur. Cujus sententiæ absurditatem cum Augustinus consideraret, exclamavit: Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Libro de Prædest. Sanctorum cap. 15. Ubi adversarios exemplo hypostaticæ unionis, quam nulla merita præcesserunt, gratiam ex meritis dari affirmantes solidè confutat. Pelagiani initio quidem hæresis, licet Dei gratiam humanis meritis retribuere contenderent, id tamen in unionem Verbi cum anima Christi contigisse nunquam dixeret; cæterum cum Augustinus exemplum de Christo urgeret dicens, esse præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ, eoque veluti argumento prostratis adversariis insultaret: Respondetur quæso: ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit? Quod ejus bonum qualecunque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Pelagiani convicti, & nullquam exitum reperientes, in desperationem acti, Origenis deliria de meritis unionem Verbi præcedentibus amplexati sunt. Hoc de postremis Pelagianis testatus est Cassianus lib. 5. de Incarnat. cap. 2. *Hoc utique, inquit, illa etiam, quam ante dixi, hæresis aserebat, Christum non propter se colendum, videlicet quia Deus esset, sed quia bonis, ac piis actibus Deum in se habere meruisset.* Et statim: Ergo vides, Pelagianum te virum vomere, Pelagiano te spiritu sibilare. Hinc hæresis Pelagiana mater evasit Nestorianæ blasphemix: neque enim homo potuisset mereri unionem cum Verbo, nisi priùs solitariè vixisset à Verbo separatus: quæ fuit hæresis Nestorii. De qua re plura inferiùs nobis describentur.*

Alter præcipuus Pelagianorum error fuit, posse hominem vivere sine quocunque peccato. Hoc autem celebre Origenis paradoxum erat, unde sunt illa ejusdem verba: *Verum Sanctum, cum ad virtutum*

Rom. 6.
Rom. 2.

Ps. 44.

tum venerit summam aem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua tussillari. Ita quidem testatur Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem; rursum in proœmio Dialogorum ait: Illud autem Origenis proprium est, impossibile esse humanam à principio usque ad mortem non peccare naturam; Et rursum esse possibile, cum se quis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit. Unde in laudato proœmio lib. 4. com. in Jerem. impeccantiam Origenis hæresim merito nuncupavit. Hoc dogma Origenianæ Scholæ peculiare fuit, undè & Evagrius Monachus, qui in Synodo VI. act. 11. ex literis Sophronii Origenianæ penitentiæ secretarius fœdissimus dictus fuit, edidit librum, & sententias περὶ ἀναδέσσης, inquit Hieronymus, quæ nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commoveretur. In Epist. ad Ctesiphontem. Cum verò non semel in sacris literis divini auxilii ad superandas tentationes necessarii mentio habeatur, hoc pacto id intelligendum esse Origenes pronuntiavit, ut virtus nobis à Deo ministrata ipsum sit liberum arbitrium, quo si gnæviter uti volumus, omnes hostium conatus possumus nullo negotio superare. Audiatur lib. 3. Peri-archon cap. 2. Non enim, ait, idem est habere vincendi virtutem, & vincere, sicut idem. Apostolus cautissimo sermone significat dicens, quia dabit Deus exitum, ut sustinere possitis, non ut sustineatis, multi enim sustinent, sed in tentatione vincuntur, à Deo autem datur, non ut sustineamus, alioquin nullum jam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus; Eadem autem virtute, quæ nobis data est, ut vincere possimus, secundum liberi arbitrii facultatem aut industriè utimur, & vincimus, aut segniter, & superamur. Et superius cap. 1. Ex quo utique non illud intelligitur, quia quod movetur manus v.g. ad verberandum injuste, vel ad furandum ex Deo est, sed hoc ipsum quod movetur, nempe manus, ex Deo est, nostrum verò est motus istos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala convertere. Ita ergo est, quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate vel in bonis, vel in malis desideris. Ita eodem modo facit liberum arbitrium auctorem boni absque Deo, quo auctor est mali actus. Quare vult Origenes, in eo consistere indifferentiam liberi arbitrii, ut posse velle, seu potentia ipsa volitiva sit à Deo, non autem ipse actus volendi; hoc pacto Origenem indifferentiam voluntatis explicasse, olim etiam tradiderat Summus Theologorum Magister sanctus Thomas 3. contra Gent. cap. 89. Quidam verò, inquit, non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præiudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates male exponere; ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud, sicut exponit Origenes in 3. Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Idem planè sensit Pelagius, cuius hanc sententiam refert sanctus Doctor lib. de Grat. Christi cap. 4. Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse adjuvat; quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Item: Quod loqui possumus, Dei est; quod verò bene, vel malè loquimur, nostrum est. Ubi verò Origenes exemplo manus usus est, Pelagius linguam in exemplum adduxit, itemque oculum: Quod possumus, ait, videre oculis, nostrum non est; quod verò

bene, aut malè videmus hoc nostrum est. Hunc verò errorem latè insequitur Augustinus in laudato opere de Gratia Christi; Egregiè cap. 5. ex Apostolo sensum illum explodit: Non ait Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi jam velle, & operari per se ipsos habeant, nec in his duobus adiutorio ejus indigeant, sed ait: Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere; Vel sicut in aliis, & maxime Græ. Pbil. 2. eis codicibus legitur & velle, & operari: Videte si non Apostolus Gratia Dei futuros adversarios Origenem, & Pelagium sancto Spiritu tantò ante prævidit &c.

Tertius Pelagianorum error fuit, nullum esse originis peccatum; hoc certè palam nusquam ab Origene assertum fuit; imò si commentaria, seu homilia in Leviticum, quæ Origeni adscribantur, verè illum auctorem habuere, oppositum aperte docuit; In hom. 8. adductis duobus testimoniis ad probandum puerorum nascentium peccatum additur: Cum baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam parvulis baptismum dari, cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet, & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur. Idem repetitur hom. 12. sed nonnulli hæc homilias sancto Cyrillo Alexandrino tribuere, undè & inter illius volumina locum habent; Vossius incerto eadem Auctori deputat lib. 2. Hist. Pelag. p. 1. thes. 6. Ex Origenis tamen principiis tollendum esse originale peccatum, mihi probatum est; nam ad hujus vitæ miseras citrà divinæ justitiæ reprehensionem defendendas, non ad originis demerita cum Catholice Ecclesiæ recurrit, sed in aliâ superiori vitâ homines peccasse fingit, quorum postea criminum natæ recens animæ meritò pœnas darent; Totus est in hoc adstruendo Origenes lib. 3. Peri-archon initio, & lib. 2. cap. 9. undè sunt impia illa ejusdem verba: Justitia debet Creatoris in omnibus apparere, quæ ut mihi videtur, ita eadem lucidiùs ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel celestium, vel terrestrium, vel infernorum in semetipso præcedentes nativitate corpoream habere dicatur. Ubi Jacob in utero dilectum ob merita præcedentis vitæ, Esau verò reprobatum ob scelera antè conceptionem patrata stultè comminiscitur. Hinc sanctus Augustinus lib. 4. contra Jul. in fine ait: Hujus evidentia miseræ gentium philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes compulsi dicere, ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore pœnarum luendarum causâ nos esse natos. Quare cum in illorum sententiam transferit Origenes, nihil planè ille credidit de originali peccato. Et quidem cum citrà dubium Adamantius animas in aliâ anteriori vitâ peccasse dixerit, etiamsi centies in baptismo & tolli peccata, & nasci pueros peccato infectos asseruisset, haud indè illo auctore peccatum originis haberetur; Certè sanctus Hieronymus, cui Origeniani dogmatis fibræ perspectæ fuere, scribit, putasse Origenem, antiqua tantum peccata in baptismo auferri, etenim cum in calce Dial. asseruisset, peccatum originale dimitti in baptismo, ita Pelagianis insultat: Transite ad Amasium vestrum, qui præterita in cælis, & antiqua delicta solvi dicit in baptismo, ut ejus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini. Ergo Hieronymo teste Origenes non originale peccatum, sed habituale, ut ajunt, in superiori vitâ commissum in baptismo tolli autumavit. Hinc Origenes exponens illud Rom. 5. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, docet, Adamum exemplo nos

peccatores effecisse, ut qui inobediendiæ formam sequentes confituti sunt peccatores, obedientiam Christi imitantes salvi fiant; quæ est ipsa Pelagianorum explicatio, qui exemplo tantum, non verò alienius peccati transfusione Adamum posteris no-cuisse contendebant. Rufinus, qui Origenis volumina, doctrinamque supra cæteros apprimè cal-luit; peccatum originale negavit; unde & de Ma-gistro nobis suspicionem reliquit, de quo tamen cum nemine contenderem, tantum enim abest, ut dubias ego sententias Origeni affricem, quin potiùs longè illum à cæteris erroribus fuisse malle.

Ex his constat, Adamantium Pelagianis præci-nuisse, idque & Hieronymi testimonio, & Origenis ipsius verbis manifestum esse. Orosius etiam, qui Hieronymo, atque Augustino convixit, & coràm cum Pelagio altercatus est, initio Apologetici de li-bero arbitrio: *Quantquam, inquit, & hæc venenatis-simorum dogmatum abominatio habet etiam nunc vi-ventes mortuos, mortuosque viventes. Nam Origenes, Priscillianus, & Jovinianus olim apud se mortui in his vivunt, & non solum vivunt, sed etiam loquuntur; nunc verò Pelagius, & Cælestius, si in his perseverave-rint viventes mortui &c.* Ex Origenis castris Pela-gium novum Gratia hostem erupisse insignis An-nalium Ecclesiasticorum scriptor affirmavit tom. 4. ad annum 388. num. 110. *Pelagius & ipse Mona-ehus majore accessione impietatis nova hæresis Auctor factus non amplius inter gregales militavit Origenis-tas, sed ipse sibi nomen conciliavit hæresis hære.* Idem tamen Pelagius noluit videri Origenista, imò sec-tam illam abominari professus in Concilio Diospo-litano, cum dixisset impios æternis pœnis punien-dos esse, addidit: *Et si quis aliter credit, Origenista est.* Apud Aug. lib. de Gestis Pelag. cap. 3. In libris etiam pro libero arbitrio adversus gratiam conscriptis inter Patres, quorum testimoniis suum dogma hinc inde conatus fuit, Origenem non nomi-navit, ut patet ex Augustini lib. de Nat. & Grat. Sciebat enim, pessimè illum apud Latinos audire; unde nec semel illum appellavit; Attamen Orige-nistæ Pelagium dilexere, isque vicissim parem eis-dem amoris vicem rependit, ut cap. 3. dicitur,

CAPUT II.

Rufinus Aquilejensis Origenista primus in Oc-cidente Pelagianorum errores docet. Pela-gius, ac Cælestius ejusdem in Urbe discipuli. Origenes à Theophilo Alexandria damnatur. Hieronymus, ac Rufinus mutuis se scriptis la-cerant. Anastasius Papa cum Origene Ru-finum damnat. Pelagius Rufini Opera Ro-ma in insignium virorum clientelam irrepit.

Rufinus Monachus Aquilejensis Origenianæ doctrinæ maximus propugnator, ac promo-tor, Pelagianorum idem Magister, & amicus fuit. Hieronymus lib. 4. in Jerem. in præfatione scribit, hæresim Zenonis, idest impassibilitatis, & impeccantia, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano sugu-lata est, cœpisse per Pelagium reviviscere. Per Grunnium Rufinum intelligit, quem non semel hoc cognomine irridendum exhibet, alludens ad M. Grunnii Corocottæ Porcelli testamentum, quod olim cum risu à sanctis exceptum fuit. Et lib. 1.

in Jerem. in proœmio arguens Pelagium ait: *Quod non videns præcurfor ejus Grunnus olim visus est car-pere.* Hinc Cardinalis Baronius ad annum 402. num. 41. hæc scripsit: *Tantum absuit, ut Rufinus parato à Sancto Hieronymo antidoto curaretur, quin potiùs post Origenis errores, quos fovit, Pelagianæ hæresis aspides ex eis oboctos percaram sibi sobolem enutriverit.* Marius Mercator in Commonitorio contra Julianum ad Pintam Presbyterum, cum recitasset Theodori Mopsuesteni opinionem de natu-rali moriendi necessitate, cui, etiam si non peccas-set, Adam subjiçendus erat, hæc habet: *Hinc inep-tam, & non minus inimicam rectæ fidei quæstionem sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifice Rufinus quondam natione Syrus Romæ pri-mus invexit, & ut erat argutus se quidem ab ejus in-vidiâ muniens per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprimè imbuit, atque insutit impiam va-nitatem.* Hic Mercator fuit contemporaneus sancti Augustini, ad quem sanctus Doctor sexennio circi-ter à Rufini obitu literas datas recenset, ut cap. 9. ostendam. Quod Rufinus ex Syriâ Romam venit, postquam plenis quinque lustris in Oriente degit, Syrus vulgò habebatur, cum tamen in Aquilejensi pago natales sortitus fuerit; itemque ex eo, quod sub Anastasio Rufini doctrina Romæ publicata, & dein damnata fuit, putavit Mercator, Rufinum ean-dem sub eodem Pontifice urbi primitus intulisse, quod tamen in fine Pontificatus Siricii contigisse mox tradam. Quare cum Rufinus primus fuerit, qui in Occidente Pelagianam hæresim docuerit, ac Pelagium; & Cælestium eadem imbuerit, idem-que in nostrâ hac Venetâ Provinciâ natus sit, in-situti operis ratio postulat, ut unde vir eâ ætate percelebris, ac Augustino nostro commendatus in errores delapsus fuerit, colique Romam invexe-rit, exponamus.

Natus est Rufinus in territorio Aquileje Vene-tiarum Metropolis, ut ipse fateatur in literis ad Anas-tasium Papam Aquilejâ datis: *Post triginta, ait, serè annos parentibus redditus sum, & durum satis, atque inhumanum erat, si tam citò desererem eos, quos tam tardè reviseram.* Irrisit hominem Hieronymus Apol. 1. lib. 2. qui & parentes nominavit, & tamen non cum eis in patriâ, sed in vicinâ Metropoli morabatur: *Quos, inquit, quia non vult deserere, ne in-humanus putetur, aut durus, idcirco reliçtâ patriâ, Aquilejæ moratur.* In parvo castro eundem natum ex Apol. 2. Hieronymi patet: *Rogantem, ait, Ro-mam, ut eam illustrares presentia tuâ, oppiduli tui amore contempseris.* Testatur verò Rufinus initio serè prioris investivæ, se in Aquilejensi Ecclesiâ Christianæ religioni initiatum propè annum 379. & Monachum induisse Valeriano Episcopo, ac Chromatio ejusdem Ecclesiæ Presbytero. Orient-alium verò Monachorum famâ permotus cum Me-laniâ seniore Alexandriam se contulit. Baronius an-no 372. num. 35. contendit, utrumque in Ægyptum tum temporis navigasse, sed rectius id anno 371. con-tigisse dicitur. Nam Palladius Melaniæ, ac Rufini amicus, ac famosus Origenista in Lausiâ cap. 102. scribit, Melaniam pretiosâ suppelleçtile, quam se-cum Româ advexerat, Alexandria divenditâ in Æ-gyptias eremossecessisse, atque dimidium annum Mo-nasteriis visitandis insumpsisse: ortâ verò Alexandria contra Catholicos persecutione subsecutam Episcopos Orthodoxos Cæsaream in exilium deportatos.

Rufinus

Rufinus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 2. post mortem Athanasii statim persecutionem inceptam scribit; hic autem decessit ex Socrate lib. 4. cap. 16. anno 371. Gratiano II. & Probo Cons. vi. Non. Maii; addit verò Rufinus cap. 4. *Quæ præsens vidi loquor, & eorum gestare fero, quoniam in passionibus socius esse promerui.* Scio, Baronium Socrati, quod ad annum mortis Athanasii pertinet, fidem non præstare, putat enim, eundem obiisse anno 372. Quod etiam rectè vir undequaque eruditissimus probat, nam Alexander Athanasii decessor obiit post quintum mensem ab exitu Synodi Nicænæ, quod idem Athanasius in Apol. 2. testatum reliquit; at Synodus Nicæna desit viij. Kal. Septembris Paulino, & Juliano Cons. nempe anno 325. Unde liquet, Alexandrum Episcopum Alexandrinum decessisse anno 326. & quidem in fastis Ecclesiæ ejusdem obitus recensetur die 26. Februarii; quintum enim mensem ab

Inci- dit hic auctor in pro- thoma- nismu- utiiple- faretur in Epil- toliã ad Anto- nium maglia- beccu- V. C. Nam scripsi et Ba- ronio, S. Atha- nasium anno 372. die obiisse, imo, quod eis pro- dore di- co, lau- dans Proce- ru Ale- xandrini- tiali e- videtur de duc- tur, anno obiisse- quenti- ejusde- obitum statu- ãu esse.

ejusdem reditu Alexandriam post celebratam Synodum Athanasius fortè numeravit. Hic autem *integros quadraginta sex annos Alexandrinæ Ecclesiæ Pontificatum egregiè cum laude gessit.* Verba sunt Cyrilli ejusdem Urbis Episcopi Epist. 1. ad Monachos, quod etiam alter Antistes Alexandrinus sanctus Proterius in Epistolâ ad Leonem scribit. Decessit ergo Athanasius anno 372. die 2. Maii Modesto, & Arintheo Cons. Quo defuncto statim Valens, quem tunc Antiochiæ fuisse scribit laudatus Rufinus, misso Alexandriam Euzojo cum Magno Quæstore persecutionem contra Catholicos inchoavit. Et quidem habemus lib. 6. Cod. Theod. tit. 4. de præf. & quæst. rescriptum Valentis Imperatoris ad Senatam *datum Idibus Aprilis. Antiochiæ Modesto, & Arintheo Consulibus.* Ex his constat, Rufinum anno 371. ex Italiâ Alexandriam navigasse, ac viginti quinque annos in Oriente moratum. Hinc Paulinus Rufini, ac Melaniæ redeuntium hospes Epist. 9. ad Severum scribit, *post quinque lustra eisdem Urbi restitutos.* Hæ chronologicæ tricæ erunt fortasse legentibus molestæ, sed profectò scribenti fuerunt longè molestiores, quas prætere- rre per me cuiuslibet liceat, qui res tantum gestas, non earundem tempora scire desiderat, quæ hic adnotata volui, quod vereor, ne seriem historiæ diligentiori chronologiæ observatione plerumque interpolans nonnullis epocharum minus curiosis fastidium ingeram.

Rufinus celeberrimâ Didymi famâ motus Alexandriam iterum se contulit, illiusque per sexennium auditor fuit, quod lib. 2. Invect. contra Hieronymum fatetur. Erat Didymus Origenistarum facile princeps, unde etiam in Synodo V. cum Origene damnatus fuit. Hinc Origenianâ scabie infectus Rufinus eandem, etiam summâ cum nominis jacturâ, Occidenti primus intulit. Sed & Theodori Mopsuesteni idem errores imbibit: num eundem sacra loca visitantem, vel adhuc Presbyterum Antiochiæ catechesim exponentem audiens, vel ejusdem tantum libros legens, in medio relinquo. Hoc certum est, Theodori errores ab eodem Rufino in Italiam advectos, ut ex Mercatore superius diximus. In Oriente Presbyter consecratus fuit; testis est Palladius cap. 103. Historiæ Lausiacæ, ubi ait: *Cum quâ (Melaniâ) vixit etiam nobilissimus, & moribus semillimus, & fortissimus Rufinus ex Aquilejâ Civitate Italiæ, qui postea dignus est habitus Presbyteratu, quo non est inventus inter homines nec doctior, nec mitior.* Rufinus à Gennadio dicitur *Aquilejensis Ecclesiæ*

Presbyter: Sed ego, puto, eundem nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ non fuisse incardinatum; ad titulum Monasterii, uti Hieronymus, alique Monachi consecratum arbitror, de quâ re eruditè Christianus Lupus in Notis ad canonem 6. Calchedonensem. Neque post reditum à Chromatio Antistite in suum Clerum adscriptus videtur, etenim paulò post inde discessit Orientem repetiturus.

Cum Melania suos postliminò tandem revivificiter in Italiam adornasset, Rufinum secum advexit. Ad eò verò prosperâ navigatione usi sunt, ut Cæsareâ solventes brevi viginti dierum spatio Neapolitanum portum tenuerint, quod Palladius paulò antè memoratus scripsit. Ibi verò magnificè à suis Romæ ed usque profectis excepti, ob currum, carrucarum, ac carpentorum multitudinem, *Appiâ gemente*, ut ait Paulinus in Epist. 10. ad Severum, Romam ingressi sunt. Baronius, cum videat, Rufinum iteunte anno 398. Aquilejam contendisse, anno 397. eundem Urbi redditum putat. At rectius id contigisse affirmabimus anno 396. quod ex Hieronymo non obscurè colligitur, qui cum à Rufino accusaretur, quoddam discipulos Romam contra ipsum submississet, respondet: *Paulinianus, & Eusebius post annum vestra navigationis profecti sunt, Rufinus in causâ Claudii post biennium missus &c.* Apol. 2. Eusebium autem Cremonensem secum Romæ fuisse testatur Rufinus lib. 1. Invect. ubi de eodem scribens ait: *Cum me, sicut ipse nosti, Romæ positum haberet. Quare ultra annum Romæ Rufinus substitit, ac ferè biennio ibidem degisse ex eodem Hieronymo habemus.* Etenim cum post biennium à Rufini discessione alter ille Rufinus in causâ Claudii Romam, dein Mediolanum ad Imperatorem veniret, Hieronymus eundem, ut suo nomine Rufinum Aquilejensem Romæ salutaret, rogavit: *Sanctum quoque, inquit, Presbyterum Rufinum ob quandam causam per Romanum Mediolanum misimus, & oravimus, ut nostro animo, & obsequio vos videret.* Epistolâ 66. ad Rufinum. Exacto biennio nondum Hieronymus intellexerat, Rufinum Romæ discessisse, cum tamen ob Melaniam ultrò, citròque sæpius literæ volitarent. Interea Macarius vir nobilissimus Vicariâ Urbis præfecturâ functus rogavit Rufinum, ut libros Peri-archon Origenis, quos ultrà sydera laudibus ille extollebat, in latinum sermonem verteret, quod diu reluctantans, ut fingit, tandem executus fuit. Quâ verò fide novus id interpret præstiterit, ostendit in suis Apologeticis Hieronymus. Hæc prima fuere in Occidente Pelagianæ hæreseos fundamenta à Rufino jacta; capitalia enim Pelagianorum dogmata in libris Peri-archon contineri capite proximo tradidimus. Imò Origenis erroribus non contentus, & sua addidit Rufinus paradoxa; nempe Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moreretur; nullum item à parentibus originale peccatum traduci. Primum testatur laudatus Mercator: alterum mox ostendetur. Hinc Pelagius, ac Cœlestius tunc Romæ degentes, ac Rufini studiosi auditores in prævas opiniones abiere. Aderant præter Melaniam Macarius, & Apronianus, qui, ut sunt homines novarum doctrinarum cupidi, Rufini sententias toti ferè Urbi inculcabant, nec Sircius simplicissimi vir ingenii Apostolicâ auctoritate novorum dogmatum professores repressit. At Divina Providentia viduæ Romanæ alteram viduam itidem Romanam opposuit, quæ novis Origenistarum conatibus magno animo obviam iret.



Audiatur Hieronymus, quo nemo melius rem novit, nec elegantius descripsit, in epitaphio Marcellæ Epist. 16. *Tunc, ait, Sancta Marcella, que diu se cohibuerat, ne per emulationem quippiam facere videretur, postquam sensit, fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum (hos inter fuere Pelagius, ac Coelestius) maximeque sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, nempe Siricii Papæ, qui de suo ingenio ceteros estimabat, publice resistit, malens Deo placere, quam hominibus.* Hinc Romæ initium duxere illi sermones, contentionesque in quibus durissime ibidem degentem versatum fuisse Pelagium scribit sanctus August. lib. 2. de Pecc. orig. cap. 21. Sed rursus audiendus Hieronymus Rufini, ac sectatorum Origenistarum strophas recensens: *Cementes heretici, de parvâ scintillâ magna incendia concitavi, & suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec posse latere, quod multos deceperat, petunt, & impetrant Ecclesiasticas Epistolas, ut communicantes discessisse videntur. Nec multum tempus in medio succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius.* Hæ literæ formate, seu communicatorie vulgò dicebantur ex Augustino Epist. 163. erantque publicæ veluti tessera, quibus in longinqua peregrinantes Orthodoxæ fidei professores publicabantur. Hanc abs se impetratam à Siricio Epistolam, antequam Româ discederet, apposuit postea Rufinus Anastasii literis, quibus acerrimè increpabatur ob tentatam Peri-archon interpretationem. Hoc enim eidem exprobat Hieronymus Apolog. 2. *Siricii jam in Domino dormientis profers Epistolam, & viventis Anastasii dicta contemnis.* Rufinus tanto Origenianæ doctrinæ propagandæ desiderio ferebatur, ut eandem in Urbe fundasse non contentus, Mediolanum usquè pererraverit, Venerium illius Urbis Antistitem doctissimum in partes tracturus. Fatetur enim in priori libro investivarum, se cum Eusebio Monacho Hieronymi discipulo Mediolani de libris Peri-archon nescio quam quæstionem habuisse. Denique eodem anno 398. affines revisurus, Aquilejam se contulit, ut Origenianis deliriis patrium etiam solum locupletaret, & Chromatio Ileri Italicæ Metropolitæ novorum dogmatum virus instillaret, ac pro Catholicæ fidei rudimentis, quæ ante triginta annos ab eodem tunc presbytero edoctus fuerat, ingratas profectò vices rependens impiissimis erroribus sanctissimum juxta ac doctissimum senem imbueret. Quis autem hic hominis cognatus non excreteret, qui uno ferè tempore tres primarias Italicæ Ecclesias, Romanam, deinde Mediolanensem, postremò Aquilejensem Origenianæ sectæ adjuccere petulantissime pertentavit? Mortuo Siricio die 22. Februarii, Anastasius subrogatus fuerat, & Marcella, Pammachius, & Oceanus strenuè Rufini sectatores in Urbe exagitabant. Illi quidem in schedulis libros Peri-archon novâ Rufini interpretatione Latio donatos ad Hieronymum in Bethlehemitico Monasterio degentem transmittendos curarunt, additâ etiam præfatione ejusdem, in quâ Hieronymum ob Origenis libros in latinum sermonem versos eximie laudans peractæ abs se Peri-archon interpretationi patrocinium paraverat.

Anno 399. Hieronymus satis prolixam Epistolam ad Pammachium, & Oceanum referipsit, quæ 65. inter ejusdem literas in editione Mariani Victorii collocatur, in quâ delatas sibi à Rufino laudes desepxit, ejusque interpretationem uti Religioni

Catholicæ perniciosissimam detestatus est. Eiusdem quoque insidias patefecit, qui librum apologeticum pro Origene ab Eutebio Cæsarensi Ariano homine proculum sancti Pamphili Martyris titulo incurstasset, ut sub tanto advocato Origenes nequaquam in hæresis suspicionem veniret. Brevem etiam Epistolam ad eundem Rufinum misit, quâ datas sibi laudes in contumeliarum loco se habere testatus est. Verùm statim ac Hieronymi literæ Pammachio redditæ sunt, earundem exemplar Apronianus, qui in Rufini rem vigilantissime incumberebat, Aquilejam ad Magistrum transmisit. Hic verò fractâ amicitia tesserâ, totusque in rabiem actus, duos de vestigio investivarum libros scriptavit, quibus non modò datam ad Pammachium Epistolam confutavit, sed commentaria etiam Hieronymi ejusdem in sacras literas aculeatis censuris perstrinxit, quò summi in Ecclesiâ Doctoris famam elevaret. Hos libros Aproniano nuncupavit, quos iste postea, ac collegæ amicis per universam Italiam legendos exhibuere. Porro Epist. 66. ad Rufinum, itemque investivarum libros hoc anno exaratos Hieronymi testimonio comprobatur, qui in Apolog. 2. quam anno 401. scripsit, ut ostendam, de laudatâ Epistolâ fatetur, *ante hoc circiter triennium ab se missam fuisse.* De libris verò investivarum ibidem hæc scribit: *Libri enim tui, quos limasti per triennium disertiores sunt.* Quare eisdem componendis hoc anno Rufinus manum admovit, quos demùm veluti postremâ limâ expolitos exeunte anno 401. ipsemet veluti de victoriâ securus ad Hieronymum jaetabundus transmisit. Baronius cum illo triennio computandum esse contendit annum 397. quo Rufinus in urbe morabatur. At non ita est; hæc enim scribit initio statim libri primi Rufinus: *Perlegi scripta tua, Aproniane charissime, quæ ab amico, & fratre bono, Hieronymum sugillat, de Oriente ad virum nobilissimum Pammachium missa transmisisti ad me.* Quare Aquilejæ erat, cum Hieronymi Epistolam Româ ab amico Aproniano accepit, quam duobus postea libris confutare conatus est.

Anno 400. Hieronymus, ac Rufinus filvere. Existimo, Rufinum Epistolâ tantum ad Apronianum missâ Hieronymi literas ad Pammachium confutasse, investivarum verò libros inchoasse quidem, sed à Chromatio Metropolitâ Aquilejense ad alia traductum. Etenim sanctissimus Antistes cum Hieronymo egit, ne styllum in Rufinum acueret, neque veterem amicum adversariis scriptis persequeretur; hoc enim testatur Hieronymus initio Apologetici, quod etiam cum Rufino coram præstitisse certum est. Imò hoc anno idem Chromatius Rufino injunxit, ut Ecclesiasticam Eusebii Cæsarensis historiam in latinum idioma verteret, quod reapse Rufinus executus est, in cuius præfatione ad Chromatium scribit, se illud opus exarasse: *Tempore, quo diruptis Italiæ claustris ab Alarico Duce Gothorum se pessifer morbus infudit, & agros, & armenta, vivos longè, latèque vastavit.* Baronius Alarici ingressum in Italiam, ac pugnam cum Stilichone commissam refert ad annum 403. Ibid. num. 65. quòd Claudianus lib. 4. de bello Get. Alaricum his suos alloquentem inducat ante pugnam:

*Si numero non fallor, ait, trigesima currit
Bruma ferè, rapidum postquam tranaximus Istrum.
At ex Ammiano lib. 30. Gothi Istrum superarunt
Valentiniano, & Valente IV. Cosl. nempe anno 373.
His triginta superadditis habemus annum 403. Ve-
rum*

rūm biennio ab Alarici in Italiam irruptione pugna apud Pollentiam contigit. Prosper in Chronico ait: *Stilichone, & Aureliano Coss. Gothi Italiam Alarico, & Radagaiso ducibus ingressi. Consentiant & Cassiodorus in Chronico, & Jornandes Gothus lib. de Gestis Gothorum cap. 29. Quare anno 400. Alaricus in Italiam per alpes Julias descendit. Anno verò 402. ad Pollentiam prælum commissum fuisse ante Cassiodorum, quem Baronius minùs rectè reprehendit, tradidit Prosper: Arcadio, & Honorio Quinto Coss. Pollentiã adversum Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est. Hinc Cassiodorus Theodorico Gotho inserviens victoriam Gothis adscripsit: Claudianus verò Stilichoni, cujus gesta decantabat. Nec oppositum canit Claudianus, dum trigésimo ferè anno ab Istro superato hanc pugnam recitat; siquidem anno 29. peracta est, dum enim ferè trigésimo inquit, unum ad minùs annum ad illum numerum desiderari pàllam indicavit.*

Anno autem 401. bellum contra Origenem in Oriente, & Occidente recrudit, idemque ubique damnatus fuit. Marcella cum Anastasio egit, ut Origenem, ejusque interpretem Rufinum Apostolicã auctoritate proscriberet, dum inquit Hieronymus Epist. 16. *impia περισσυχον ingerit volumina, quæ emendata manu Scorpii, Rufini scilicet, monstrabantur.* Pontifex, ne ex pravis Origenis libris Catholica fidei integritas quicquam mali pateretur, ejusdem recentè interpretatos libros damnavit datis eã de re ad Venerium Mediolanensem, & ad Orientem literis. Prioris Epistolæ meminit idem Anastasius in literis ad Joannem Hierosolymitanum anno sequenti missis, quæ etiamnum extant. At eundem etiam ad Orientem scripsisse, testatur Hieronymus Apolog. 2. quam tamen Anastasii Epistolam à Hieronymo compositam Rufinus calumniabatur, eamque à Joanne Hierosolymitano expectabat; hæc enim sanctus Doctor scribit: *Si autem Romani Episcopi est, stultè facis ab eo exemplar Epistolæ petere, cui missa non est, & non ab illo, qui miserit. De Oriente expectare testimonium, cujus auctorem habes in picino.* Existimo, illam Anastasii Epistolam datam ad Theophilum, cum hic de damnato abs se Origene ad Anastasium scripsisset. Enimverò hoc ipso anno Antistes Alexandrinus in doctissimã Paschali Epistolâ Origenem uti hæreticum acerrimè insectatus est. Hanc Epistolam Hieronymus in latinum vertit, eamque statim ad Pammachium, & Marcellam Romam misit, quò non modò eos in Oriente gestorū contra Origenem certiores redderet, verum etiam ut eadem Anastasio Papæ exhibita tam nobili exemplo eundem ad Origenem iterum damnandum provocaret. Harum literarum meminit Hieronymus Epist. 78. quam unà cum alterâ Paschali anno sequenti ad eundem Pammachium, & Marcellam misit. Baronius anno 399. num. 51. quatuor Paschales Theophili à Hieronymo latinitate donatas existimavit, scribens hanc earundem primam intercidisse. Sed planè tres tantum Theophili Paschales literas Hieronymus interpretatus est, neque illa intercidit, sed habetur tomo 9. Operum sancti Hieronymi, cujus est exordium: *Christum Jesum Dominum gloria &c.* Etenim in fine ejusdem intimatur futurum Pascha Nonodecimo mensis Pharmuthi juxta cyclos Ægyptios; at juxta supputationem Julianam die 14. Aprilis, quâ die contigit Pascha hoc anno 401. Cyclo Solis xviii.

Lunæ iij. lit. F. De quâ tamen Epistolâ idem Annalium scriptor asserit num. 52. *quòd promulgata fuerit ipso anno Domini quadringentesimo secundo prosequenti anno quadringentesimo tertio.* Qui biennii metachronismus est. Sed neque verum est, Paschales literas anno anteriori solitas fuisse publicari; nam promulgabantur à Theophilo juxta veterum morem ex Cassiano Collat. 10. cap. 2. *peracto Epiphaniarum die.* Vir insignis, & nunquam satis laudatus ibidem promittit, se ex cyclis Theophili singulas quasque ejusdem Epistolas à Hieronymo latinitate donatas suis annis deputaturum. Illas tamen inverso ordine apud codices Hieronymianos positas non animadvertens, & cyclos Paschales earundem non considerans, putavit primam Epistolam, quæ incipit: *Solemnitatis Augustæ sermo divinus &c.* reapse esse earum, quæ extant, primam, ante quam cum in Epist. 78. dicat Hieronymus, aliam se præterito anno misisse, quartam Epistolam, quæ desideretur, idem excogitavit. Prima, & secunda inverso ordine positæ sunt; prima enim est illa, quæ designat, Pascha adfuturum *decim. nonâ die Pharmuthi*, quæ ibidem secunda asseritur, quem errorem nec Marianus Victorius adnotavit; quæ verò prima ibidem dicitur, secunda nuncupanda est, de quâ mox sermo redibit. Theophilus plurimum Origenis errorum catalogum recenset in priori Epistolâ scriptâ anno 401. quæ à Hieronymo interpretata, & Romam missa sancti Anastasii mentem mirum in modum turbavit. Latini enim Græci hominis errores nondum perspectos habuerant. Quare nil ultra morandum ratus, Origenem latâ sententiâ condemnavit, quod ipsum hoc anno eodem Chromatius, ac Venerius, qui duo tantum eo tempore Metropolitanæ in Italiâ censebantur, in suis Ecclesiis præstiteret. Scribit hæc Hieronymus Apol. 1. lib. 2. *Ergo Beati Episcopi Anastasius, Theophilus, & Venerius, & Chromatius &c. illum, nempe Origenem, hæreticum denunciant.* Imò cum illæ ipsæ literæ Rufino præsentè legerentur, teste ibidem Hieronymo, *dicitur obturasse aures suas, & dixisse, usque ad illud tempus se ignorasse, quòd tam nefaria scripserit.* Rufinus tamen in eâ Origenis damnatione minime nominatus fuit; unde & in literis, quas statim Romam ad Anastasium misit, gratias egit Pontifici; quòd *calumniantibus non accommodavit auditum.* Interea cum veluti damnatorum Peri-archon voluminum interpres Romæ passim malè audire se ab amicis accepisset, memoratas ad Romanum Antistitem literas dedit, in quibus fidei, quam profitebatur, teseram exhibuit, quò omnem à se hæreseos suspensionem, quâ ubique in Italiâ se laborare sentiebat, excuteret. Hæc verò ad Anastasium scripsit: *Æquum putavi, ut quoniam ipse post triginta ferè annos parentibus reddi us sum, & durum satis, atque inhumanum erat, si tam citò desererem eos, quos tam tardè reviseram, simul & quia tam longi itineris labor fragilem me reddidit ad iterandos labores, literis meis satisfacere beatitudini tuæ.* Has literas existimo Rufinum scripsisse, cum Romam ad se purgandum ab Anastasio evocaretur; nam Hieronymus iteratis literis eundem ab Anastasio accitum fuisse testatur Epist. 16. ubi de Rufino, ac collegis, ait: *Dum acciti frequentibus literis hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi, tantaque vis consequentiæ fuit, ut absentes damnari, quam præsentès coargui maluerint.* Porro insulfam illam, ac frigidam Rufini excusationem lepidè irridens idem Hieronymus Apol. 1. lib. 2.

lib. 2. ait: *Hic supinus, & lassulus post triginta annos per mollissimum Flavinia iter essedo venire non potest, sicque præterit longi itineris lassitudinem, quasi triginta annis semper cucurrerit, aut biennio Aquileja sedens præteriti itineris labore confectus sit.* Jam enim ab aliquot mensibus exactum erat biennium, ex quo Mediolano Aquilejam anno 398. se contulerat.

Interea duæ Rufini invectivæ contra Hieronymum totâ Italiâ, ac Dalmatiâ per Origenistarum præsertim manus, oraque volitabant, ita ut etiam earundem excerpta à pluribus, qui ex Italiâ in Palæstinam veniebant, memoritè recitata Hieronymus intelligeret: *Sic pudens, inquit de Rufino in posteriori Apologiâ, ut catervatim de Occidente venientes mihi tua maledicta narraverint ita memoritè, & consentaneè, ut ego cogere non scriptis tuis, quæ necdum legeram, sed scriptorum respondere opinionibus.* Quare sanctus Doctor priorem hoc anno Apologiam in duos libros divisam elucubravit, in quorum primo Rufini Apologeticum pro Origene sancto Pamphilo adsutum vellicat, ac translatis se Periarchon codicis rationem reddit: in altero verò scriptam ad Anastasium Papam ab eodem Rufino Epistolam examinat, alia insuper refellens, quæ contrâ abs se edita in sacras literas commentaria à Rufino scripta fuisse ex Pauliniano fratre intellexerat. Baronius putavit, anno sequenti hosce Apologeticos libros à Hieronymo elucubratos, sed ex fuorum scriptorum ordine, quem in posteriori Apologiâ recenset, aliter sentiendum apparere: *Postquam, inquit, in Epistolâ ad Pammachium, & Oceanum, repuli crimina, idest laudes tuas, & absque invidia tui nominis respondi criminibus, non criminatori &c. irasceris, furis, & luculentissimos libros contrâ me cudis, quos cum legendos, & cantandos omnibus tradidisses, certatim ad me de Italiâ, & Urbe Româ, atque Dalmatiâ scripta venerunt, quibus me laudator pristinus ornasset encomiis. Fateor, illico ad objecta respondi; misique hos ipsos Apologie meae libros ad eos, quos tu vulneraveras, ut venena tua nostra sequeretur antidotus. Ob hanc culpam mittis mihi, & priores libros tuos, & recentem Epistolam plenam injuriarum, & criminum.* Igitur Hieronymus duos priores apologeticos libros in Oriente conscripsit, eosque ad Pammachium, & Marcellam, quibus eosdem nuncupaverat, misit, quorum exemplaria cum in manus amicorum Rufini venissent, illa ad eundem Aquilejam transmiserunt, quæ postea cum Rufinus prolixâ satis Epistolâ confutasset, unâ cum duabus invectivis ad Hieronymum misit. His omnibus postea alterâ Apologiâ proculsâ idem sanctus Pater responsonem luculentam, & satis aculeatam adornavit, vivente adhuc Anastasio Papa, nam ibidem ait: *Viventis Anastasii dicta contemnitis.* At cum Anastasius decesserit 27. Aprilis, nullâ ratione fieri potuit, ut tam brevi spatio ejusdem anni 402. Hieronymus libros priores exararet, illique Romam, dein Aquilejam mitterentur, & Rufinus eosdem impugnaret, ac per Orientalium mercium negotiatorem (nam is planè fuit eorundem delator) libros invectivarum à triennio ab se limatos, novamque apologeticam Epistolam ad Hieronymum deferendam curaret, quibus Hieronymus alteram Apologiam statim reposuerit, antequam Anastasius è vivis excederet. Quod verò opponit Baronius, Hieronymum lib. 2. prioris Apologie laudare catalogum illustrium scriptorum ante annos ferme decem scriptum, quem, ut ibidem patet, anno xiv. Theodosii emissum constat, non officit;

etenim annus ille Theodosii incipiebat à die 16. Januarii anni 392. siquidem eâ die dictus est Imperator anno 379. unde toto anno 401. à die 16. Januarii decimus annus à Theodosii anno xiv. currebat. Imò dum ait *ferme decem*, planè nondum plenum decennium elapsum demonstrat.

Anno sequenti 402. Theophilus in festo Theophaniorum Paschalem de more Epistolam promulgans, Origenem iterum in eadem strenuè impugnavit. Quare Hieronymus, qui probè norat, quantum prioris anni literæ Theophili Romanorum animos contrâ Origenistas commoverant, primo vere easdem latinitate donatas ad Pammachium, & Marcellam Origenistarum in Urbe Antagonistas misit, addita ad eosdem Epist. 68. in qua hæc habet: *Alexandrinæ opes primo vere transmitto.* Postea de eadem Paschali ait: *Quam sciatis in quatuor partes esse divisam; In primo credentes hortatur ad Dominicum Pascha celebrandum; In secundo, & tertio loco Apollinarium, & Origenem jugulat; In quarto, idest extremo, hæreticos ad penitentiam cohortatur. Si quid autem hic minus adversus Origenem dictum est, in præteriti anni Epistolâ continetur.* Hæc Epistola Paschalis incipit: *Solemnitatis Augustæ sermo divinus &c.* in quâ, cum pluribus ad Paschale festum celebrandum Theophilus cohortetur, *§. cessent Apollinaris discipuli &c.* contrâ Apollinaristarum errores orationem vertit. At *§. sciant igitur se hujus solemnitatis &c.* contrâ Origenistas insurgit, ubi vocat ignominiam causâ Origenem *hydrant omnium hæreseon.* Tandem *§. denique ne occupati &c.* ad penitentiam hortatur. Epistola præteriti anni ibidem laudata est illa, quæ perperam secundo loco in codice Hieronymiano recensetur, de quâ superius locuti sumus. In fine verò Paschalis contra Apollinarem, & Origenem emissæ indicitur Pascha celebrandum *andecimâ die mensis Pharanthi,* nempe juxta epocham Julianam die 6. Aprilis, quâ die anno 402. Paschalia festa peracta sunt cyclo Solis xix. Lunæ iv. lit. E. Cum verò hanc Paschalem Hieronymus mitteret, nondum Anastasii Papæ literas hoc ipso anno ad Joannem Hierosolymitanum datas acceperat, nam in Epist. illa 78. scribit: *Predicationem quoque Marci Evangelistæ Cathedra Petri Apostoli suâ predicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque literæ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est.* At in Epistolâ ad Joannem Hierosolymitanum non modò Origenis libros damnat, sed eosdem quoque ab Imperatoribus proscriptos esse significat, & Rufinum nominatim acriter increpat, ubi inter cætera, eundem damnatum abs se tradit: *Rufinum scito, quod propriâ mente Origenis dicta in latinum transtulit, ac probavit: nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitis præstat assensum. Illud denique scire te cupio, ita haberi à nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.* Hieronymus sub id ferè temporis hanc sancti Anastasii Epistolam, ac libros invectivarum Rufini ab hoc ipso post triennium limatos accepit, unde animosior factus toto impetu contrâ adversarium invectus, elegantissimam Apologiam è vestigio emisit, quâ veluti ultimo ictu Rufinum confecit. Profecit in Anastasii Epistolâ triumphum cecinit: *Esto, inquit, præteriti anni ego Epistolam finxerim, recentia ad Orientem scripta quis misit, in quibus Papa Anastasius tantis*

tantis te ornata floribus &c. Sanctus Pontifex Rufino Pelagianæ Scholæ Magistro, atque Origenis Pelagianorum Patris defensore damnato die 27. Aprilis ad superos transit, eique subrogatus est Innocentius, qui postea Pelagium, ac Cœlestium Rufini ejusdem discipulos damnavit, ut inferius nobis describetur.

Augustinus, qui in ore famæ verfabatur, atque ex Alipii in Palæstinam peregrinatione cum Hieronymo, ac Rufino tunc concordibus amicitiam contraxerat, eisdem postea litigantibus neutri adhæsit, imò datâ ad Hieronymum Epist. 15. etiam, atque etiam indoluit, tantam repeatè inter utrumque inimicitiam exortam: *Quis denique, inquit, amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum, & Rufinum hoc, quod plangimus, exoriri.* Cùm verò ab utroque invectivarum libros, quibus sese invicem proscindebant, accepisset, quod ex Hieronymi Epist. 13. apud Augustinum intelligitur, in hanc sententiam rescripsit: *Ne de vobis ea scribendo spargatis, quæ quandoque concordantes delere non poteritis, qui nunc concordare nolitis, aut quæ concordare legere timeatis, ne iterum litigetis.* Postea Hieronymum alloquens ait: *Verumtamen illum, nempe Rufinum, maluerim aliquo modo, mitiorem, quam te isto modo armatorem.* Hoc magnum, & triste miraculum est, ex amicitia talibus ad has inimicitias pervenisse; latum erit, & multò amplius ex inimicitia talibus ad pristinam concordiam revertisse. Hæc sanctus Augustinus scripsit. Verùm ex Cœlestii postea confessione cognovit, Rufinum primum omnium in Urbe peccatum originale negasse, quod cum perpetuâ Rufini infamiâ in libris contra Pelagianos editis testatum reliquit, ut mox ostendam, totusque in Hieronymi partes transit.

Hic jam nobis monstrandum est, Rufinum reapse fuisse Pelagianorum Magistrum. Enimverò quòd primum in Occidente docuerit, Adamum etiam non peccantem morturum fuisse, ex Martii Mercatoris testimonio laudato patet. Tria diximus fuisse præcipua Pelagianorum dogmata. Primum quidem: *Gratiam ex meritis dari.* Hoc tradidisse Rufinum, qui humani arbitrii vires altiùs exaggerabat, mihi compertum est. Insuper Stoicorum impeccantiam, qui alter erat Pelagianorum error, omni conatu promovit. Gelasius Papa in Edicto de libris recipendis ait: *Quoniam beatus Hieronymus Rufinum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus.* Quod de Rufino iudicium Vossius cap. 3. perperam Gennadio Massiliensi cap. 18. de Script. Eccles. attribuit. Sanè ex meritis omnia cum suo Origene Rufinus suspendit; unde in vectivâ alterâ in Hieronymum omni censurâ liberat dicentes, *inæqualitatis causas unamquamque sibi animam jam ex anterioris vitæ, quam in cœlestibus habuit, motibus, ac sensibus comparasse.* Quo sanè asserto gratuita divinorum beneficiorum largitio penitus evacuatur. Quò verò Rufinus Origenis de impeccantiâ opinionem promoveret, Evagrii Pontici Monachi, ac Sexti Philosophi Pythagorici libros in latinum sermonem vertit, in quorum sanè hominum voluminibus impeccantia pluribus suadebatur. De Evagrio scribit Hieronymus ad Ctesiphontem: *Edidit librum, & sententias $\pi\epsilon\pi\alpha\iota\sigma\tau\epsilon\sigma\iota\varsigma$, quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus nullo perturbationis vitio commovetur, & ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est &c.* Hujus libros per Orientem Græcos, & interpretante

discipulo ejus Rufino plerique in Occidente lectitant. Pelagianorum verò causam alium per dolum incautos circumducens plurimum promovit memoratum Sexti Pythagorici hominis librum, quò majori in æstimatione apud universos esset, sancti Xysti Pape, & martyris titulo præmuniens; fraudem exaggerat Hieronymus in proem. lib. 4. in Jerem. *Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum, linguamque suam docuit mendacium.* Sexti Pythagorici hominis gent. lissim. unum librum interpretatus est in latinum, & sub nomine sancti Martyris Xysti Urbis Romæ Episcopi ausus est edere. Hinc Pelagius ex hoc libro veluti à sancto Pontifice edito testimonia. contra divinam gratiam deprompsit, ægrèque ab iis se expedire conatus olim Augustinus in lib. de Nat. & Grat. cap. 64. tandem in lib. 2. Retract. cap. 42. dolis cognitis librum illum Ethnico Auctori adjudicavit. Hieronymus in Epistolâ ad Ctesiphontem testatus est, Pelagianos ex illo volumine plurima. contra Ecclesiam. usurpare testimonia. Atque his suppetiis enascentem hæresim Rufinus communivit; Utriusque Operis Evagrii, ac Xysti Rufini operâ latinitate donati meminit Gennadius, in Rufino.

Tertium Pelagianorum dogma, nullum scilicet esse originis peccatum, non modò Rufinus asseruit, sed Pelagianæ Scholæ Magistri hoc se à Rufino didicisse publicè contestati sunt. Rem sic narrat Augustinus lib. de Pecc. orig. cap. 3. Cœlestius Pelagii Achates in Concilio Carthaginensi coram Aurelio Episcopo interrogatus, quid de peccati originalis traduce sentiret, ita respondit: *Dixi de traduce peccati, me dubium esse, ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiae, consentiam, quia diversa ab eis auctori, qui utique in Ecclesiâ Catholica constituti sunt Presbyteri.* Paulinus Diaconus dixit: *Dic nomina ipsorum: Cœlestius dixit; Sanctus Presbyter Rufinus Romæ, qui mansit cum Sancto Pammachio; Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit: Paulinus Diaconus dixit: Est aliquis alius? Cœlestius dixit: Non tibi sufficit unus Sacerdos? Vides, Cœlestium de originalis peccati traduce dubitasse, unoque Rufino Auctore negantem partem fati tutam existimasse. Rectè Cardinalis Baronius. Tomo 5. ad annum 412. num. 23. At observa & illud, citari à Cœlestio non Pelagium ipsum, ex quo hæresis nomen accepit, sed Rufinum, ut Coriphæum, atque sectæ Antesignanum. Est igitur Baronio Auctore Pelagianorum Coriphæus, atque Antesignanus. Illorum sanè rem etiam, atque etiam promovit, dum libros Peri-archon latinis donavit; in illis enim Pelagianæ dogmata non obscure quidem, sed aperte tradi superiori capite ostendimus.*

Rufinus certè non modò Romæ, & in Palæstinâ Pelagium fovit, sed & eundem amicis suis, ac patronis carissimum fecit, quod non levè ignominie Rufino eidem vertitur. Melania senior nobili, ac consulari familiâ Romæ orta Rufinum aded coluit, ut longissimarum peregrinationum comitem illum voluerit, ut dictum est; huic verò Melaniæ Rufinus Pelagium notum reddidit, qui postea & librum eidem foeminae nuncupavit: *Et re verâ, inquit Augustinus in lib. de Gestis Pelagii cap. 4. in libro Pelagii ad Melaniam ita legitur.* Paulinum Nolanum, & Severum Sulpitium non modò Rufini amicos, sed & encomiastas fuisse, ex ipsorum literis fati intelligitur. At Pelagius Paulini Nolani itidem amicus fuit, testis est idem Augustinus initio Epist. 106. ad Paulinum

num

num, Pelagium, quod ut servum Dei dilexeris, novimus, nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus. Ita tamen Paulinus Pelagium sanæ olim fidei iudicatum dilexit, ut monente postea Augustino errantem fugerit; secus verò Sulpitio accidit, qui à Pelagiano deceptus, errorem tandem cognoscens perpetuo silentio sibi indicto pœnas dedit ex Gennadio cap. 19. de Script. Eccl. Joannes Hierosolymitanus cum Rufino, & Melaniâ pro Origene contra Divum Hieronymum conspiravit, quæ pluribus recensent Ecclesiæ Annales à Baronio editi ad annum 393. tom. 4. Hinc sunt illæ fati justæ Hieronymi querelæ Epist. 101. ad Pammachium: *Hæc non est illius culpa, cuius sub personâ alius agit tragediam, sed Rufini, & Melaniæ Magistrorum ejus, qui illum magnâ mercede nihil scire docuerunt.* Sancti Epiphani Epistolam Græcâ ad Joannem Hierosolymitanum scriptam, in quâ plurimum hic errorum arguebatur; Hieronymus Eusebio Cremonense Monacho petente in latinum verterat, quam quidam pseudomonachus Melaniæ pecuniâ corruptus surripuit, ac Joanni detulit, qui contra Hieronymum omnes odiorum ventos concitavit. Porro hic Joannes Hierosolymitanus Pelagio patrocinatus est, & licet illius sententiam non probaret, hominem tamen semper defendit, quod ex Apologetico Orosii patet, & ex utraq; Pelagii absoluteione, quam tum Hierosolymis, tum Diospoli in iudicio, illic præsidente, hic præsentè Joanne Hierosolymitano suffuratus fuit; hinc sanctus Augustinus veritus, ne insignem ob vitæ sanctimoniam, ac doctrinæ excellentiam Episcopum suam in sententiam Pelagius traheret, ad eundem literas dedit, queis hæresiarchæ dolos aperiens Pelagium, inquit, *fratrem nostrum, filium tuum, quem audio, quod multum diligis, hæc illi suggero exhibeas*

Epist. 352. *dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt, non ab eo tuam sanctitatem existiment falli.* Orosius, qui paulò antè Hierosolymis in Africam ad Augustinum redierat, sinistra fortè de Joannis doctrinâ publicaverat; quare eundem per literas Pelagianæ fraudis Augustinus admonendum duxit.

Interea initio Pontificatus Innocentii Rufinus, atque Origenistæ respirare visi sunt, Theophilo eorundem Antagonistâ reo coram Apostolicâ Sede constituto; Etenim cum hic non modò Origenem clamasset, verùm & Monachos quosdam Origenistarum doctrinis infectos procul ab Ægypto expulisset, illos verò in regiam urbem profectos Chrysostomus, quod illi pii viderentur, & docti, neque eorundem errores perspectos haberet, humaniter excepisset, submissosque contra illos à Theophilo Oratores in carcerem detrussisset, gravissima inter utrumque Antistitem dissidia exorta sunt. Cum Theophilo Epiphanius Cyprius, ac Hieronymus contra Chrysostomum ob eandem causam facto veluti federe conspirarunt. Epiphanius vir sanè doctissimus, idemque sanctissimus in Epistolâ ad Joannem Hierosolymitanum, quæ tom. 2. Operum Hieronymi legitur, hæc de Rufino scripsit: *Te autem frater liberet Deus, & sanctum populum Christi, & omnes fratres, qui tecum sunt, & maxime Rufinum ab hæresi Originis.* Idem etiam profectus Constantinopolim Chrysostomi præsentiam, ac colloquium fugit ob receptos Alexandriâ ejectos Origenistas, palamque de eodem Chrysostomo questus est, qui cum probè intelligeret, Eudoxiam Augustam Epiphaniò, ac Theophilo favere, publicè è suggestu contra seminarem odia, rabiemque invecus, non

obscurè Augustam impetere visus est; hinc illa infurorè acta sanctum Episcopum in pseudosynodo ad Quercum dictâ paulò post deponendum curavit, in quam rem acriter Theophilus incubuit, qui etiam Chrysostomi nomen è sacris diptychis erasit. Hinc eodem Arcadii jussu in exilium deportato, Innocentius Papa Cleri C. P. legatione iteratâ commotus in Principes, ac Theophilum excanduit, quo tempore Origenistæ, qui pro Chrysostomo ob semel contra Theophilum odium conceptum altius loquebantur, pacem, seu potius inducias à Romano Pontifice obtinere. Unus legatorum, qui Romam pro Joanne Chrysostomo venerat, fuit Palladius Episcopus Helenopolitanus publicus Hieronymi hostis, de hoc enim in Lausiaco, seu volumine ad Lausum cap. 78. scribit: *Tanta fuit ejus invidia, ut ab eâ obrueretur virtus doctrine:* quod vitium etiam postea eidem Hieronymo objecit Origenistarum discipulus Pelagius teste Augustino lib. 2. contra Jul. cap. 10. Hieronymum verò contra Chrysostomum stetit, ex ejusdem Epist. ad Theophilum, quæ tom. 9. habetur antè tres literas Paschales, apertè deducitur, ibi enim hæc scribit: *Unde & nos Joannem, qui dudum Constantinopolitanam vexit Ecclesiam, Deo placere semper optavimus, & causas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere volumus; sed ille, ut cætera flagitia ejus taceam, Origenistas in suam recipiens familiam, & ex his plurimos in sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter Episcopos clarum in Orbe Sydis effulsit, non parvo marore contristans, meruit audire, cecidit, cecidit Babylon.* Ita Origenistarum operâ factum est, ut Sanctissimi viri mutuis dissentionibus conflictarentur.

Rebus ergo eo pacto turbatis Rufinus Romam se contulit, testatur hoc Paulinus in Epist. ad Rufinum: *Etiannum, inquit, nunc vos in astu sollicitudinis, & incerto morarum Romam peti indicastis; Cum verò idem accepisset, Rufinum iterum in Orientem navigaturum, missâ per Cerealem Epistolâ eundem rogavit, ut Nolâ invisendi sui gratiâ transfret: Remearurus ad Orientem non feres invisitatis nobis abire.* At Rufinum non longè ab Urbe degisse ex laudatâ Epistolâ Paulini exordio colligo: *Est incertum, inquit, mihi fecit filius Cerealis, quod ad te perrexturus foret in tempore, quo ad sanctum Petrum revertitur, tamen per eum, qui aquæ tuus, ac noster est, non scribere tibi tam culpabile nobis, quam tibi triste futurum judicavimus.* At Rufinus rescribit Paulino: *Communem quidem filium Cerealem nondum videram, sed is conscius, quid mihi doloris instigeret, si reddere moraretur literas tuas, premisit eas ad me.* Additque: *Quia autem quadragesimâ diebus in Monasterio Pinneti positus hæc rescripsi ad te &c.* Est Pinnetum locus suburbanus extra Portam Angelicam primo ab Urbe lapide, vulgòque Pigneto Romanis nuncupatur. Interim Rufinus egregium opus de benedictionibus Patriarcharum, quod etiannum extat, ad Paulinum perscripsit, in nuncupatoriâ verò Epist. ait: *Quantum ergo vel mediocritas intelligentiæ nostræ valet, vel tempus indulget, vel si finunt, qui rescripserunt ad Origenem perurgent &c.* Ex quibus patet, Rufinum continuatam Origeni interpretando operam posuisse, neque sancti Anastasii Papæ sententiâ ab eo unquam studio deteritum; imò Origenis in librum Numerorum commentariorum interpretationem morti proximus Ursacio petente exequutus est, ut cap. prox. videbimus, ubi tamen ostendimus, eundem errores partim ab ipso assertos, partim vulgò sibi objectos retractasse, neque enim secus urgens Romam ausus fuisset accedere.

CAPUT III.

Pelagii Patria, professio Monastica, & doctrina. Scribit Romæ commentarios in Epistolas Pauli. Celestius Eunuchus Pelagii Achates. Rufinus in Sicilia obtus. Palinodia ejusdem ex codice Vaticano nunc primum recitatur.

Donatistis postremo ac memorabili congressu, anno à Servatoris adventu quadringentesimo undecimo, in celebri Carthaginensi collatione superatis, diuturnis diffidiis, quæ tot annos Christianum Orbem crudeliter laceraverant, impositum tandem finem Orthodoxi sibi invicem, atque Augustino præsertim, cujus unius virtuti post Numen eam victoriam acceptam ferebant, gratulabantur: cum repentè Pelagianum bellum hominum opinione majus erupit, quod Africam, Asiam, atque Europam longè, lateque pervagatum, uti novis laboribus Augustinum implicuit, ita eidem novorum quoque triumphorum materiem suppeditavit. Hæresis Princeps Pelagius Britanniam habuit patriam: ita Prosper initio carminis de Ingratis:

*Dogma quod antiqui satiatum felle Draconis
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.
& inferius cap. 34.*

*I procul insana impietas, artesque malignas
Asper, & auctorem comitare exclusa Britannum.*

Paulus Orosius in apologetico patriam eandem Pelagio dedit, hæc de Pelagio locutus: *Britannicus noster mox, ut voluerit, se posse confidit.* Sanctus Augustinus Epist. 106. ad Paulinum scribit, Pelagium, ut à Tarentino Pelagio distingueretur, *Britonem fuisse cognominatum.* Et sanctus Prosper in Chronico ad consulatum Lucii, & Heracliani 413. *Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratianæ Christi, Celestio & Juliano adiutoribus, exerit.* Corrigendus est Danæus comment. in lib. sancti Aug. de Hæresibus cap. 88. qui Pelagium *Gallum Britonem* vocat. Ex dictis enim Prosperi pater, Pelagium haud natum apud Britones, qui Galliam Celticam ad Oceanum incolebant, sed ex Britonum gente illum fuisse, quæ Occidentalem Britanniam occupaverat, unde illius insulæ populi vulgò Britones appellabantur. Unus è Britannia antiquissimus, idemque doctissimus testis Beda sufficiat lib. 1. Hist. gentis Anglorum: *Imprimis, inquit, hæc insula Britones solum, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano, ut fertur, Britanniam advekti australes sibi partes vindicarunt.* Legatur Usserius de Antiquitate Britan. Eccles. ubi Britannii passim Britones apud veteres appellantur. Reiciendus est etiam Vossius lib. 1. Histor. Pelag. cap. 3. vocans Pelagium Scotum: nam Britonem illum fuisse Augustinus laudatus, & Beda ipse c. 10. testantur; Scoti verò, ac Picti Septentrionales insulæ plagas tenebant, eosque Beda dicit cap. 12. *gentes à parte Britonum remotas, quæ deinde sub Valentiano plurima mala Britonibus intulere, quæ in Beda, ac Gilda pluribus enarrantur.*

Pelagium Monachum fuisse non semel scribit Augustinus, in lib. de Hæresib. cap. 88. ait: *Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima à Pelagio Monacho exorta.* Nullis tamen sacris Ecclesiæ dignitatibus insignitus unquam fuit: nam Zosimus Papa in Epistola ad Aurelium & Afros Episcopos vocat Pelagium *Laicum virum ad bonam*

vingem longa erga Deum servitute rudentem. Eo enim tempore Monachi ad Sacros Ordines non promoti inter Laicos recensentur. Scriptores Anglici plura de illo tradunt, neminem tamen veterum testem laudant. Abbatem fuisse illum dicunt insignis cœnobii Bangorensis propè Cestriam, ubi duo mille, & centum Monachi vixere. Illorum testimonia recitat Usserius cap. 8. sed meritò contemnit Vossius citatus, vocans eadem juniorum fabulas. Hæc quidem libentius omitto, uti illud quoque, natum Pelagium eodem anno, atque eadem prorsus die, qua in Africa exortus est Augustinus, quod ex antiquo scriptore Vualfala producit Dempsterus lib. 15. Hist. Scotorum, licet de die non consentiat Ludovicus ab Angelis lib. 5. de Vita sancti Augustini cap. 14. Porro Augustinus natus est anno 354. Idibus Novembris, quem diem uti natalitium disputationibus cum doctissimis viris celebravit, ex lib. de Vita beata cap. 1. Illud omnibus in confesso est, vixisse illum in Oriente Monachum, ad quod probandum Baronius, Vossius, Usserius, alique producant Epistolam Chrysostomi anno 405. in exilio apud Arabissum in Armenia datam, in qua Pelagii casum deplorans ait: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus sum; Cogita igitur, quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt, cum viros pie ac sanctè, tantaque cum tolerantia viventes abripi, atque in fraudem impelli videamus.* Verum ex sola nominis similitudine Pelagium Hæresiarcham designari, levem suspicionem dixit vir eruditissimus Petavius in calce tom. 3. Dogm. Theol. libro de Hæresi Pelagiana cap. 1. n. 3. Ego quidem arbitror, Pelagium ante annum 411. nunquam in Orientem transfretasse. Scribit Marius Mercator in Commonit. ad Pintam: *Hinc inceptam, & non minus inimicam veltæ fidei quæstionem sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifice Rufinus quondam, natione Syrus Romæ primus invexit; & ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprimè imbuat, atque instituat impiam vanitatem.* At Rufinus cum Melania anno 396. & sequenti, Siricio adhuc superstite, Romæ degebat, cum nuper ex Oriente in Italiam venisset, ut capite superiori dictum est: quo tempore Rufinum libros Peri-archon ibidem in latinum sermonem vertisse diximus: tunc verò Pelagius Romæ aderat, quem ibidem diutissime vixisse testatur Augustinus, cujus verba mox dabimus. Cum verò mortuo Anastasio Rufinus timore deposito, favente Melania, Macario, Aproniano, aliisque illustribus viris Romam redierit, eodem Magistro familiaritè iterum usus est Pelagius, atque in semel imbibitis erroribus confirmatus, nempe nullum esse originis peccatum, neque mortem ex primi parentis reatu in homines derivasse, quæ Pelagianæ sectæ fundamenta fuerunt, quibus vastam postea errorum molem imposuere. Ex his mihi satis probabile videtur, Pelagium in Occidente Monachum induisse, ac captà à Gothis Romæ, in Orientem primitus transfretasse; neque Chrysostomum in laudata Epistola, ubi Pelagii casum deplorat, de Britanno Pelagio ea scripsisse.

Extat apud Isidorum Pelusiotam acerrima cujusdam Pelagii Monachi reprehensio: nam lib. 1. Epist. 314. his Pelagium perstringit: *Si tibi carnum nidus, atque esoniarum condimentum curæ est,*

jis,

is, qui magistratum gerunt, potius blandire, atque urbium caminos vestigia; neque enim homines Eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant. Quo anno hæc scripserit Isidorus, incertum est, illequidem etiam post annum 431. vivebat, nam libro eodem Epist. 410. ad Cyrillum meminit Synodi Ephesinæ eo anno celebratæ. Vossius cap. 3. id parum verisimile dicit: videt enim, Pelagii sanctimoniam à Chrysostomo, atque Augustino, aliisque laudari. Sed habemus alterum cœtaneum testem Orosium in Apologetico, qui Pelagium *ministrum mensarum*, itemque *balneis, epulisque nutritum* dixit. Ex illorum Monachorum grege erat Pelagius, de quibus hæc quidem lepidè scribit Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium: *Et tamen miror, cur carni detrahentes vivant carnaliter, & inimicam suam foveant, & nutrant delicatè, nisi fortè implere volunt scripturam dicentem, Amate inimicos vestros.* Lautiores igitur mentas, ac pinguiores bolos noster delicatior Monachus consecrabatur: unde nil mirum, si Paulus Orosius, qui de facie satis hominem novit, illum nobis depinxerit in Apologetico *lotos humeros gestantem, robustamque cervicem, præferentem etiam in fronte pinguedinem.* Ibidem etiam dicitur *mutulus, levis in fronte, μωρόφαλλος*: erat ergo Pelagius altero oculo laesus.

Sed neque rectè eundem unquam de gratiâ, & libero arbitrio sensisse existimo: erat enim Origenianæ Scholæ rigidus professor, semperque aliquid monstri aluit. Scribit ipse anno 417. hæc ad Innocentium: *Legant illam Epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum Episcopum ante duodecim fere annos scripsimus.* Scripta fuit Epistola anno 405. Porro Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 35. ait: *Hanc ego Epistolam legi, & inveni, eum penè per totam non immorari, nisi in facultate, & possibilitate natura, & penè ibi tantùm Dei gratiam constituere.* Diutius in Urbe moratus est, ubique verò in colloquiis, ac disputationibus hæretica semper illum dogmata sparsisse, auctor est sanctus Doctor lib. 2. de Pecc. orig. cap. 21. *Alia quoque ipsius, inquit, in Urbe Româ, ubi diutissimè vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus, contentionibusque versatus &c.* Passim enim peccatum originale elevabat, & altiùs pro libero arbitrio contra divinam gratiam loquebatur. Cùm semel Romæ quendam insignem Episcopum illam Augustini & brevissimam, & devotissimam præcatiunculam recitantem audisset, nempè *Da quod jubes, & jube quod vis*, quam sanctus Doctor lib. 10. Confess. cap. 29. & 37. inseruerat, eandem pluribus refellere non extimuit, & teste Augustino lib. de Dono persever. cap. 20. *penè cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit.* Inde novæ doctrinæ auctor publicari cœpit Pelagius, eaque de ipso fama ad Augustinum in Africam usque pervenit, qui tamen, quòd Pelagii sanctimoniam à pluribus commendari cognoverat, doluit, eum virum in distortas aded sententias abiisse, nihil interim contra eundem scripsit.

Edidit Romæ Pelagius brevissimos in Pauli Epistolas commentarios, quos non uno loco excutit Augustinus, nempè lib. 3. de Peccator. meritis, & remissione, lib. de Gestis Pelagii cap. 16. & lib. de Pecc. orig. cap. 16. Marius Mercator in libello supplici ad Theodosium Imperatorem pag. 37. Cod. Vaticani superius laudati ait: *Ut autem & Pelagius cum isto pariter damnaretur, istud in causâ*

est: ausus est memoratus ante vastationem Urbis Romæ in Apostolum Paulum commentarios condere, & his edere, de quorum amicitia præsumebat. Quare ante annum 410. quo Roma à Gothis capta fuit, commentarios illos edidisse certum est, cùm Romæ propè Rufinum Magistrum degeret. Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 4. valdè ed inclinavit, ut putaret, hos Pelagii commentarios eos ipsos esse, qui libris Hieronymi vulgò subungi solent, quod citra dubium Jansenius postea asseveravit. Ex Mario Mercatore hæc nobis sententia probatur, qui ibidem hæc scribit de Pelagio: *In Epistolâ igitur, quæ est ad Romanos, cum ad illa loca venisset, ubi vas electionis ita loquitur: Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, hæcenus credidit exponendum: quem librum ejus habemus, & proferimus ad convincendum inimicum ejus errorem; verba Pelagii: Et in omnes homines mors pertransiit, cum sic, inquit, qui peccat, similiter moriuntur, neque enim aut in Abraham, aut Isaac, aut Jacob mors pertransiit, de quibus Dominus ait &c.* Quæ quidem verba, & sequentia leguntur in commentariis Hieronymi libris annexis, ut patet ex cap. 5. ad Rom. ad illa: *Et ita in omnes homines mors pertransiit, quæ ita ibidem exponuntur: Dum ita peccant, & similiter moriuntur. Non enim in Abraham, & Isaac, & Jacob mors pertransiit, de quibus dicit Dominus &c.* Præterea Augustinus lib. de Gestis Pelag. cap. 16. ait: *Sunt quedam expositiones Epistolæ Pauli, quam scribit ad Romanos, quæ ipsius Pelagii esse dicuntur, ubi hoc quod scriptum est, Non volentis, neque currentis, sed miserationis est Dei, non ex persona Pauli asserit dictum, sed eum voce interrogantis, & redarguentis usum fuisse, cum hæc diceret, tanquam hoc utriusque dici non deberet.* At in memoratis commentariis illi prorsus sinistro interpretamento laudata Apostoli sententia subjicitur: *ibi enim post nonnulla Pelagius concludit: Unde intelligitur, quia hic interrogantis voce utitur, & redarguentis potius, quàm negantis.* Scio, sanctum Doctorem lib. 3. de Peccat. mer. & remis. nonnullas ex eisdem Pelagii commentariis argumentationes ad verbum recitare, quæ in editis non leguntur, sed illud satis verisimillimum iudico, eas ratioinationes Cœlestii manu insertas, eoque pacto in sancti Doctoris manus venisse: etenim familiare Cœlestio fuit, brevissimis syllogismis ad hæresim stabilendam uti. Jansenius existimavit, easdem expositiones Pelagii ipsius manu fuisse subindè parumper immutatas, de quo nolo cùm eodem ducere contentionis funem. Porro apertis verbis ibidem peccatum originale excluditur: nam cap. 5. ista leguntur: *Quomodo potest unius delicto Adæ omnes homines condemnare, cum nec unius Christi justitiâ omnes homines justificati sint?* quo loco pluribus tradit, Adam nocuisse posteris exemplo tantùm, ac formâ, qua mors animæ, non verò corporis Adami culpam imitantibus intimatur. Et cap. 7. totum se prodit iniquis: *Insaniunt, qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum.* Vides ergo Pelagium strenuum Rufini defensorem. Præterea in eisdem commentariis universum hæresis, quam postea fufius docuit, virus evomuit. In cap. 8. laudatæ Epistolæ ad Romanos ad illa verba: *Lex enim spiritus vitæ in Christo* ait: *Notandum, quia gratiam legem appellat, & inferius: Quicumque sequendum doctrinam spiritus sancti vivunt, ipsi sunt,* qui

qui spiritu Dei aguntur; Neutrobique enim gratiam Spiritus sancti à lege, & doctrinâ distinguit. In cap. 11. vers. 7. *Electio autem consecuta est, hæc scribit: Divina Scriptura hoc habet, cum unusquisque habeat libertatem, faciendi bonum, vel malum, Deum dicat, eradere, aut dare, propterea, quia ipse est, qui dedit libertatem.* Quibus actuale Dei auxilium prorsus negavit, admittens tantum ad jutorium possibilitatis, quod idem est, ac liberum arbitrium naturæ rationali insertum. Augia stabulum purgare mallem, quam illorum commentariorum errores in indicem cogere.

Vivebat Romæ cum Pelagio, ejusdem discipulus, ac defensor Cœlestius, qui tantam sectæ operam navavit, ut *sectatores eorum*, inquit Augustinus cap. 88. de Hæres. *Cœlestiani etiam nuncupentur*, nec alio quidem nomine Pelagian in Ephesinâ Synodo damnati sunt. Scotum illum fuisse non obscure innuit Hieronymus in Proœmio lib. 3. in Jerem. ubi carpens Pelagium ait: *Ipseque minus latrat per alpinum canem grandem, & corpulentum, & qui calcibus magis possit ferire, quam dentibus; habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinis, qui juxta fabulas Poëtarum instar Cerberi spirituali percucitendus est clavâ, ut æterno cum suo Magistro Putone silentio conticescat.* Quibus sanè ænigmatiis formulis describi Pelagium, ac Cœlestium rectè observavit. Baronius ad annum 410. *Tibi notes velim, Pelagium ab eodem Hieronymo mutum appellari, quod publicè pro hæresi non loquebatur*, unde idem in Epistolâ ad Cæsiphontem his hæreticò insultat: *Publicè prædica, quod secretò discipulis loqueris; Qui dicis, te habere arbitrii libertatem, quare non libere, quod sentis, loqueris.* Cœlestius verò Cerbero comparatur, hic enim palàm pro hæresi latrabat, unde ab Augustino lib. de Pecc. orig. cap. 12. *Cœlestius liberior*, Pelagius *astutior* jure merito nuncupati sunt. Marius Mercator in Commonitorio ad Pintam contra Julianum hæc scribit: *Hic Pelagius ad hæresim Cœlestii nobilis natus quidem, & illius temporis auditorialis scholasticus, sed naturæ vitio eunuchus maris utero editus.* De antiquioris Ecclesiæ Scholasticis agit Illustrissimus Suarez in nuper editâ eruditissimâ dissertatone de Origenis Hexaplis, & Octaplis pag. 77. Unde colligitur; Pelagium scholam rexisse, & quidam Romæ, ubi cæteros inter Cœlestium discipulum hæuit. Hic primâ juvenia Monasterio nomen dedit, & ut acerrimo ingenio pollebat, eruditos satis libris, imberbis licet, conscripsit, audiat Gemadius *Cœlestius antequam Pelagianum dogma incurreret, imò adhuc adolescens scripsit ad parentes suos de Monasterio Epistolâ in modum libellorum tres in omnibus Deum diderantibus necessariâs.* Cap. 44. de Script. Eccles. Romam profectus Rufini, ac Pelagii familiaritate us recti dogmatis naufragium fecit; etenim nullum esse originale peccatum, ex Rufino se didicisse palam fassus est in Synodo Carthagenensî, ut capite sequenti referam. Hieronymus hostes semper despiciet fuerus, Pelagii, atque Cœlestii ingenium deprimi, certè de Cœlestio hæc sentit in Epistolâ laudat: *Unus discipulorum ejus, imò jam magister, & totus ductor exercitus, & contra Apostolum vâs perditum non per solæismorum, & non ut sui factum, per sylphismorum vâta decurrens sic philosophatur, & dicit ut.* Verum Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. vocat Cœlestium *hominem acerrimum genii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset.* Et quidam ratiocinationes ejusdem apud Augustinum in lib. de Perfectione justitiæ

Cœlestii acumen satis ostendunt. Cum verò Alaricus Româ captâ per universam Italiam populandum exercitum raperet, Pelagius, ac Cœlestius, qui ante Urbis expugnationem in longinqua secesserant, in Siciliam se receperunt, an cum Rufino Pinianum, ac Melaniam Romanorum ditissimos secuti, in incerto est, id tamen licet suspicari, eò quod Pelagius supra cæteros Rufino carus, ac Piniano amicissimus fuit.

Hoc anno 410. exeunte, vel melius initio sequentis Rufinus in Siciliâ apud Messanam ultimum diem clausit. Etenim Gothorum Rege in festis agminibus Romam adventante Pinianum ac Melaniam conjugem secutus in Siciliam transfretavit. Testatur hoc Rufinus in Epistolâ ad Ursacium, quam Henricus Valesius vir clarissimus, & de sacrâ juxta, ac profanâ Historiâ supra omne præconium optimè meritus & veteri codice exscriptam vulgavit pag. 129. animadversionum in Historiam Eusebii Cæsareensis, ubi ait: *Quantvis amantissimus filius noster Pinianus, cuius religiosum cœtum pro amore pudicitie profugum comitatur, injungat & alia &c.* Fuisse verò eundem in Siciliâ exeunte anno 410. ex his, quæ ibidem scribit, intelligitur: *Ubi fugitur, inquit, per variâ discrimina, & ne ipsa quidem absque metu habeatur exilia. In conspectu etiam, ut videbas etiam ipse, nostro barbarus, qui Rhegino oppido miscebat incendia, angustiissimo à nobis freto, ubi Italia solum Siculo dirimitur, arcebat. In his ergo posito, quæ esse ad scribendum securitas potuit?* Hæc Rheginensis territorii devastatio contigit exeunte anno 410. nam Alaricus Urbem expugnavit IX. Kal. Septembris, ut ex Miscellâ scribunt Panvinius in Fastis, ac Cardinalis Baronius, idemque ex chronographiâ Teophanis habetur. Alaricus Româ triduo post egressus Latium, Campaniam, Brutios, Apuliam, ac Calabriam denique cum victore exercitu percurrit, Urbes expugnans, diripiens, incendens. Quare Rhegium, ultimum Italiæ limitem, in fine tantum anni pervenire potuit, quo tempore adhuc superstes erat Rufinus apud Messanam ex adverso Italiæ litore, angusto pelago interfluente, Rhegii incendia prospectans. Sigonius lib. 11. de Imperio Occid. ad initia anni 411. Alaricum Rhegium invise scribit: Baronius, qui laudatam Rufini Epistolam ad Ursacium non vidit, putavit Pinianum cum Melaniâ anno 409. in Africam ex Campaniâ transfretasse, sed ineunte anno 411. eundem in Africam delatum existimo. Etenim cum Augustinus accepisset, Albinam, Pinianum, ac Melaniam Tagastem advenisse; Epistolam 227. ad eosdem statim misit, causatus, quod, *hyeme tam horrendâ, tam in proximo constitutos invisere non poterat*; Tagastis enim Hippone Regio M. P. LIII. tantum distabat. At cum ex Scriptore vitæ Sanctæ Melaniæ Piniani uxoris apud Sarrum die 31. Decembris, & Lipomanum nostræ Veronæ Antistitem Tom. 1. ad diem 31. Januarii, constet, eosdem septem annos Tagaste degisse, antequam in Palestinam transmitterent, & ex Proœmio libri de Gratia Christi pateat, anno 418. post Majum literas ad Sanctum Doctorem ex Palestinâ eosdem misisse, quibus ille Numidarum Legatum in Synodo apud Carthagem agens respondit, ut cap. 15. explicabitur, non obscure inferitur, eosdem ineunte anno 411. Tagastem ad Sanctum Alipium se recepisse, quod Alaricus naves ad Siciliam oppugnandam undique Rhegium contrahebat, qui sædo postea naufragio constitutus, incepta deserens paulò post è vitâ apud Cæsentiâ discessit. Scribit Olympiodorus Cod. 80. Photii, Alaricum statuâ quadam annu

Rhegium prohibuit, ne in Siciliam classem appelleret, quæ somniantis figmenta esse, nemo non videt. Alipius adhuc Monachus Augustinianus, cum ex peregrinatione Hierosolymitana in Italiam venisset, ob generis claritatem, eximiam doctrinam, ac morum integritatem cum Piniano, ac Melania amicitiam contraxerat; hinc Italiã vastatã, ac tremente Sicilia nobiles illi conjuges ad Alipium sese contulere.

Rufinum sub idem temporis apud Melsanam oblitse tradit Hieronymus in Præfatione ad librum Ezechielis, ubi alloquens Virginem Eustochium tempus mortis Rufini designat: *Ecce subito, inquit, mors mihi Panmachii, atque Marcellæ, Romanæ Urbis obsidio, multorumque fratrum, & sororum dormitio annunciata est, atque ita consternatus obstupui, ut nihil aliud diebus, ac noctibus, nisi de salute omnium cogitarem.* Et rursum: *Postquam verò clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imò Romani imperii truncatum caput, & ut verius dicam, in unã Urbe totus Orbis interit, obmutuit, & filii de bonis &c.* Hieronymus diutius captæ Urbis dolore confectus manum è tabulã amovit; cum verò stylum resumpsit, jam vulnere cicatricem paulatim obductam fuisse, testatus est. Quare post annum 411. Commentaria in Ezechielem exorsus fuisse videtur, id rogante Eustochio, ac Rufini paulò ante morte intellectã, cui ignominie causã epitaphium ibidem inscribit. Verba ejus sunt: *Verum, quia tu indesinenter hoc flagitas, & magno vulnere cicatrix paulatim obducitur, Scorpiusque inter Enceladum, & Porphyrum Trinacriæ humo premitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit.* Hunc vitæ exitum in Sicilia, quæ à veteribus Trinacria appellata fuit, Rufinus habuit, vir quidem eruditus, ac Paulini Nolanî encomiis decoratus, cujus studio insignem Eusebii Historiam Latio donatam se evoluisse Augustinus affirmavit in lib. de Hæres. c. 83. Hic tamen nimio erga Origenem, ejusque scripta amore, quo semper exarsit, non modò Hieronymi, & Epiphaniî Cyprii odia sibi contraxit, verum etiam Romanæ Ecclesiæ censuras meruit; inde etiam Pelagianæ sectæ fundamenta posuit, gravissimaque diffidia Orbî Catholico intulit. Sanctus Gelasius Papa in Romanâ Synodo hanc de Rufino sententiam tulit: *Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam Beatus Hieronymus cum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum Beatum Hieronymum sentire cognoscimus, & non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir sapiens memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit.* Ex quibus ultimis verbis corrigendus est Gennadius iniquus Hieronymo scriptor, dum cap. 17. eximie Rufino commendato ait, Hieronymum *emulationis* contra Rufinum *stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse.* Cæterum Rufinus non fuit hæreticus, licet Hieronymus eundem hæreticis annumeret, neque enim Sanctus Paulinus tam religiosam cum eodem amicitiam coluit, neque Pinianus, & Melania illum unã secum in Siciliam adduxissent, neque in suburbano Pinetî Monasterio degere potuissent, si palam hæresis infectus fuisset. Unde errorum suspicionem, quã apud Anastasium laboravit, Romam rediens coram Innocentio Pontifice à se procul excussit. Et quidem libellum, quo errores partim ab se assertos, partim sibi, ut questus est, imputatos condemnavit, inveni in antiquo codice Vaticanæ Bibliothecæ inter MSS. Palatina num. 234. in cujus voluminis initio ponitur Epistola Sancti Anastasi Papæ ad Joannem Hiero-

solymitanum contra Rufinum, ab eoque translata. Peri-archon volumina, paginã verò secundã hæc Rufini palinodia legitur.

IN C. PROPTER FIDEM.

Propter venerationem Sanctorum locorum Hierosolymarum, & Bethlehem venimus, & intelleximus, plurimos fratres in nobis scandalizari, eò quòd audierint, nos multa hæretica, & quæ contra fidem Ecclesiæ veniunt, profiteri. Itaque Deo præsentem restamus, quæ infrascripta sunt, nos ex parte sensisse per errorem, & præsentem tempore condemnare; Alia autem, in quibus falsò infamamur, nec dixisse, nec dicere, & contraria, quæ in aliis suspicamur, posuisse, atque damnasse.

I. Qui dicunt Diabolo, & Dæmonibus, & impiis, hoc est Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque Hæreticis, exceptis Christianis, qui rectam fidem sequuntur, & sunt peccatores, pœnas eorum non esse perpetuas, anathema sint.

II. Qui dicunt, quemvis Sanctum virum, & Prophetalem, & Apostolicum sine Dei auxilio posse esse perfectum, anathema sint.

III. Qui dicunt, Christum filium Dei Deum Verbum in hominem esse mutatum, ita ut Deus Verbum esse desierit, aut hominem purum natum ex Maria secundum Pulum Samosatenum, & Photinum, & merito, atque virtutibus in Dei vocabulum profecisse, anathema sint.

IV. Qui dicunt, illud, quod scriptum est: *De die, anò, & hora nesciunt neque Angeli, neque Filius* Marc. 13. 32. juxta blasphemias Ananorum, & non propter dispensationem carnis sumptæ, anathema sint.

V. Qui dicunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, hoc est Sanctam Trinitatem, diversæ inter se esse substantiæ, & non unius potestatis, atque naturæ, anathema sint.

VI. Qui dicunt, quolibet modo, & quolibet sensu Filium Patrem non videre, anathema sint.

VII. Qui dicunt, animas nostra ex Angelorum fastigio in hæc corpora corruisse propter quædam antiqua peccata, & in isto mundo gerere penitentiam asumentes illa testimonia: *Viusquam humilior ego peccavi, & educ de carcere animam meam,* Ps. 118. 67. & cætera his similia, anathema sint. Ps. 141. 8.

VIII. Qui dicunt, Dominum, & Salvatorem nostrum non in nostra venisse, sed diversæ, sublimiorisque fuisse substantiæ, sic cœlestis, & non in totum sumpsisse, quod de Maria est, vel animam hominis non habuisse, vel mentem absque peccato, anathema sint.

IX. Qui dicunt, post multa sæculi, & tempora, quæ non possumus humana cogitatione comprehendere, restitutionem fieri omnium in antiquum statum, & universa ad sua redire principia, anathema sint.

X. Qui dicunt, post resurrectionem non eadem habere nos corpora, sed aerea uadam, & spiritalia, & non ejusdem naturæ cujus in sepulchro conditi sumus, licet incorruptæ, atque immortalis, anathema sint.

XI. Qui dicunt, post resurrectionis finem, & post multa tempora aboliri corpora, & reverti in usum, ut sine corporibus tantum animæ simus, quod prius fuimus, anathema sint.

XII. Qui dicunt, animas priusuisse, quàm natæ sunt, & non cum corpore secundum exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri, anathema sint.

FINIT

FINIT DE FIDE DE NOMINE RUFINI.

Ethæc quidem in laudato codice leguntur. In his verò anathematismis reprobantur majori ex parte Origenis errores, ut legenti Epistolæ Hieronymi ad Avitum, & Epiphani ad Joannem Hierosolymitanum patebit; Undè habemus Rufinum nostræ Provinciæ insignem Scriptorem, & dum viveret, Sancti Augustini amicissimum, ab omni hæreseos Origenianæ crimine se purgasse, ac in Ecclesiæ Catholicæ communione defunctum, neque enim, si secus contigisset, assertus fuisset à Sancto Gelasio *Vir religiosus*. Cum verò videam, à Hieronymo in proœmiis ad libros Ezechielis, itemque Jeremias, quos post Rufini mortem interpretatus est, eundem acriter perstringi, satis probabile existimo, laudatam palinodiam in Hieronymi manus non pervenisse, cur enim piis correcti hominis manibus tam severò insultasset? Utcunque res se habuerit, illud notandum est, nihil à Rufino ibidem asserti de peccato originali, quòd fortè eam sententiam, uti ejusdem postea discipulus Coelestius dicere solebat, non ad dogma fidei pertinere, sed inter adiaphora reponendam arbitratur; Ibidem tamen in secundo anathematismo Pelagianorum dogma de gratià condemnat, ut planum sit, de divinæ gratiæ ad opera pietatis præstanda necessitate, Rufinum Pelagianis olim præcivuisse, ut jure in Synodo Romanâ sub Gelasio de arbitrii libertate per semetipsam ad virtutem capeffendam sine auxilio Dei sufficente à Divo Hieronymo reprehensus asseratur.

CAPUT IV.

Celestius in Synodo Carthaginensi ab Aurelio Primato damnatus Ephefum pergens Presbyter consecratur. Pelagius ab Augustino, & Hieronymo scriptis confutatur. Theophilus Alexandrinus moritur.

Cum Pelagius, ac Coelestius aliquandiu Syraculis substitissent, id enim facile suspicor, quòd vel initio hæresis ea urbs erroribus infecta fuit, in Africam se contulerunt. Indicta erat ab Honorio Imperatore, celebris illa collatio inter Catholicos, & Donatistas anno 411. cuius rei famâ commotus Pelagius, ejusque Achates Coelestius ed fortè cursum intenderunt, quòd celebres illos Africæ Episcopos cognoscerent. Pelagius, absente Augustino, Hipponem appulit, indeque Carthaginem venit, ac paulò post in Asiam profectus est. Scribit hæc Augustinus lib. de Gestis Pel. cap. 22. *Posteaquam in Africam, inquit, venit me absente nostro, id est, Hipponensi litore exceptus est, ubi omnino nihil ab illo hujusmodi auditum est, quia & citius, quam putabatur, inde profectus est; Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel, vel iterum vidi, quando curâ collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui, ille verò etiam ad transmarina properavit.* Ex his Augustini verbis bis in Africam Pelagium transfretasse putat Jansenius, sed non ita est, nam Hippone versus Asiam profecti Carthagine prætervehuntur, ibi verò Pelagius exscensionem fecit, celeberrimam Urbem, ac Synodi Patres invisurus. Inchoata est illa collatio Kalendis Junii in thermis Gargilianis ducentis septuagintanovem Episcopis suffragia pro Donati parte ferentibus, Catholici Antistites ducenti, & octoginta sex eo tem-

pore Carthagine numerati sunt. Tridud verò collatio duravit. Inserta legitur Tom. 4. Concl. Edit. Regiæ à pag. 101. Papii Massonis operâ primum in lucem edita, ejusdem verò compendium recitat Augustinus Tomo 7. Ex his patet, Pelagium mense Majo Carthaginem appulisse, cum eò ex universâ Africâ Episcopi confluerent.

Pelagio interim Hierosolymam profecto, Coelestius Carthagine substitit, statimque contrâ peccatum originale garrere occæpit præsentè adhuc Augustino, qui sanè tunc primum originis peccatum antiquari, inter quorundam colloquia se cursim intellexisse, testatus est lib. 3. de Pecc. mer. & remis. cap. 6. *Ante parvum tempus, ait, à quibusdam transitorie colloquentibus cursim mihi aures perstrictæ sunt, cum illic apud Carthaginem essemus, non idèo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo; Quà novitate permotus, & quia oportum non fuit, ut contrâ aliquid dicerem, & non tales homines erant, de quorum essem auctoritate sollicitus, facile hoc in transitu, atque abolitis habui.* Coelestius nova dogmata latè per Urbem spargebat plerisque suam in sententiam adductis, scholæque omnes, ac congressus novis disputationibus ebulliebant. Ille verò cum quibusdam excellentioris scientiæ homo videretur, ad Presbyterii dignitatem aucupandam subdole irrepebat, idque facile impetrasset, nisi Paulini Diaconi industriâ uti hæresis novæ magister, & accusatus, & convictus fuisset. Ista quidem recitat Augustinus Epist. 89. ad Hilarium in fol. 3. quaestio-

nis: *Nec tamen hic deesse aliquos arbitror maxime apud Carthaginem, sed jam occultè mussitant, timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem; Nam unus eorum nomine Coelestius in ejusdem Civitatis Ecclesiâ jam ad Presbyterii honorem surrepere cæperat, sed fidelissimâ libertate fratrum propter has ipsas contrâ Christi gratiam disputationes usque ad judicium Episcopale perductus est. Res autem referente Augustino lib. 2. de Pecc. orig. cap. 3. hoc pacto se habuit. Paulinus Diaconus indignatus novo dogmate plebem Carthaginensem infici, ac dissidiis cuncta compleri, Coelestium novarum dissensionum, ac doctrinam auctorem ad Aurelium Primate Carthaginensem, aliosque Collegas Synodum vere novo de more celebrantes detulit. Accitus ille in judicium, objiciente Paulino, negasse ipsum originis peccatum, respondit: *Dixi de traduce peccati, me dubium esse, ita tamen, ut, cui donavit Deus gratiam peritiam, consentiam, quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesiâ Catholica constituti sunt Presbyteri.* Instante verò Paulino, ut auctorum nomina produceret, respondit: *Sanctus Presbyter Rufinus, Romæ qui mansit cum Sancto Pammachio; Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit; Urgenti verò accusatori, ut alios quoque nominaret, indignatus respondit: Non tibi sufficit unus Sacerdos? Errores, quorum Paulinus Coelestium accusavit, recitat Augustinus lib. de Gestis Pel. cap. 11. Primo, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* 2. *Quoniam peccatum Ade ipsum solum læserit, & non genus humanum.* 3. *Quoniam lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium.* 4. *Quòd ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato.* 5. *Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 6. *Quoniam neque per mortem, vel prævaricationem Ade omne genus hominum moritur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit.* Septimum etiam hunc errorem: *Hominem posse esse sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit.***

Cœlestio objectum fuisse, testatur Orosius in Apologetico; Scribit autem laudatus Augustinus ad Aurelium: *Hæc ita objecta sunt*, nempe Pelagio in Synodo Diopolitana, *ut etiam apud Carthaginem à Sanctitate tua, & ab alijs tecum Episcopis dicerentur audita, atque damnata.* Paulinum hæretici delatorem Divi Ambrosii Diaconum fuisse rectè Baronius subodoratus fuit, quod disertè tradit Marius Mercator in Commonitorio ad Theodosium Imperatorem: *Cœlestius*, inquit, *quidam Eunuchus matris utero editus ante viginti plus minus annos discipulus, & auditor Pelagii egressus ex Urbe Romanâ Carthaginem Africa totius Metropolitim venit, ibique de infra scriptis capitulis apud Aurelium Episcopum memoratæ Urbis per libellum à quodam Paulino Diacono sanctæ memoriæ Ambrosii Mediolanensis Episcopi est accusatus.* Hic idem est Paulinus, qui ejusdem Ambrosii vitam descripsit, eandemque Augustino nuncupavit, quem plerique cum Paulino Nolæ Episcopo perperam confundunt. Cæterum cum Cœlestius sine ambagibus dilucidè dogmata illa anathematizare recusaret, à Synodo anathemate ipse percussus abscessit. Augustinus libro 2. Retractat. cap. 33. *Cœlestius verò discipulus ejus jam propter tales asseriones apud Carthaginem in Episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.* Hæc accidisse anno 412. verno tempore constat ex literis Concilii Carthaginensis ad Innocentium datis circà autumnum anni 416. ubi *ante ferme quinquennium* judicatum de Cœlestio ibidem fuisse Patres perscribunt. Ille publico anathemate proscriptus ex Africâ fugiens in Asiam se contulit, ne tamen uti hæreticus palam traduceretur, simulque latam contra se sententiam ab Africanis declinaret, ad Romanam Sedem appellationem interposuit. Testatur hoc laudatus Marius Mercator, qui etiam designat Urbem, in quam se receperit, ubi & Presbyter fuit consecratus: *Ecclesiasticâ*, inquit, *communione privatus est, à quâ sententiâ ad Romani Episcopi examen credidit appellandum; Quâ mox idem ipse appellatione neglectâ Ephesum Asia Urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterii petere.* Non ergo in Siciliam se contulit ex Africâ Cœlestius, ut putavit Usserius libro de Antiq. Eccles. Britan. cap. 9.

Joannes Latus, qui rerum Pelagianarum Historiam paucis perstrinxit, lib. 1. cap. 4. hæc scribit: *Undè Cœlestii appellatio ad Apostolicam Sedem, quam inculcat Baronius, doceri possit, non video; Nam si in priori, inquit, illo Carthaginensi judicio Cœlestius appellationem interposuit, mirum videri potest, Africanos Patres secundo judicasse, & ad Innocentium quinquennii tempore nullam notitiam ejusdem appellationis pervenisse.* Hæc illo, sed imperitè; Etenim ut ineluctabile Mercatoris, quem Latus non legit, testimonium proximè recitatum omittam, ex literis Zosimi Papæ ad Aurelium, & collegas datis anno 417. habemus, Cœlestium Carthagine damnatum Apostolicam Sedem appellasse; de illo enim hæc scribit: *Pariter vobiscum volumus habere tractatum de illo, qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, & ad nostram (qui se assereret innocentem non refugiens judicium ex appellatione pristina) venerit Sedem.* Scio, Latium suspicari literas hæc Zosimi supposititias, sed cum cæteris legitimæ sint, nullo jure appellationem Cœlestii omni fundamento carere affirmavit; certè eandem legit Facundus Hermianensis, qui anno 550. floruit, indeque lib. 7. cap. 3. eandem Cœlestii appellationem inculcavit; verba Auctoris damus inferius cap. 13. Sed eadem Cœlestii appellatio ex Pau-

lini Diaconi, qui Cœlestium accusaverat, libello ad Zosimum evidenter ostenditur; ex codice Vaticano exhibet illum Baronius ad annum 418. inter alia hæc ibidem recitantur: *Quem, nempe libellum, idcirco direxi, quia me licet sermone Basiliscus Subdiaconus à tuâ beatitudine cum gestis Sedis Apostolicæ directis, Carthagine convenit IV. Non. Novembrium die, ut adessem ad Apostolicam Sedem, & tuæ judicio sanctitatis, ad quam me fugisse suggestum est, nec de futurum fore promitterem, si adversum me, & non pro me fuisset lata sententia. Ubi tunc igitur nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apostolicam provocaverat, desuit, quem oportuerat utique merita suæ appellationis adstruere, maxime cum nihil agente appellatore secundum etiam humanas leges superior est semper ille, qui vicit.* Ex his constat, Paulinum Diaconum auditâ appellatione Cœlestii Romam illic se contulisse, ut contra eundem coram Innocentio Romano Pontifice latam ab Synodo Carthaginensi sententiam defenderet, inquit enim: *Ubi, nempe apud Apostolicam Sedem nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apostolicam provocaverat, desuit.* Liquet, Cœlestium causæ diffisum Innocentii tribunal subterfugisse, & elapso quinquennio coram novo Pontifice veterem appellationem postliminè interposuisse. Patres verò Africani iterum Cœlestium condemnarunt, quòd interpositam appellationem Innocentii timore percussus omiserat. Et hæc contra Latium sufficiant. De literis Zosimi vide lib. 2. cap. 6.

Sed non prior fuit isthæc novæ hæreseos peracta Carthagine damnatio, nam olim Sanctus Cyprianus ibidem in Synodo LXI. Episcoporum eandem proscripterat. In Epist. 59. ad Fidum inquit: *A baptismo, atque gratiâ nemo prohibetur, quantum magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit, qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* Hoc antiquum, ac venerabile Africanæ Ecclesiæ decretum in faciem semper Pelagianus Augustinus illisit. Anno sequenti cum publicè in Ecclesiâ Carthaginensi in Cœlestii dogma rogatus declamaret: *Rego vos, inquit, ut paululum acquiescatis; lego tantum: Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumpsi, antiquus Episcopus Sedis hujus, quid senserit de baptismo parvulorum, imò quid semper Ecclesiam sensisse monstraverit, paululum accipite.* Serm. 14. de Verb. Apostoli versus finem, statimque positam Cypriani sententiam inculcat. Eodem testimonio Sancti Martyris usus est Hieronymus in fine libri tertii Dialogorum. Quare non sine divinæ providentiæ consilio factum est, ut Cœlestius ab irato Numine Carthaginem ablegaretur, ubi dudum convictæ, ac damnatæ antiquitatis eâ in Urbe hæreseos reus fidelium communione privaretur.

Interea Carthago novis de gratiâ, & libero arbitrio quæstionibus personabat, ac Cœlestii fautores Flavium Marcellinum V. C. in partes trahere conabantur. Is anno superiore ab Honorio Imperatore in Africam summâ cum potestate missus Collationi celeberrimæ apud Carthaginem interfuerat, ac pro Catholicis contra hæreticos sententiam pronunciarat; interim Principis decreta contra Donatistas opperiebatur. Cum verò Cœlestianos disputatores molestissimos pateretur, illarum quæstionum, quas illi moverant, solutionem per literas ab Augustino petiit. Huc usque Pelagiana hæresis sermonibus, ac colloctionibus ab Augustino, aliisque cohibita fuerat, nullis contra eandem scriptis emissis. Urgente tamen amicissimo viro,

atque

atque ob leges in Donatistas nuper promulgatas de Catholica Ecclesiâ benemerito, Augustinus stylium in Pelagianos acuens tres ad Marcellinum libros edidit, quos de Peccatorum meritis, & remissione inscripsit. In horum primo Adam, nisi peccasset, minimè moriturum, ejusque posteros originali labe infectos nasci demonstrat. In altero verò quatuor hæc quæstiones solvit. *Utrum possit esse homo sine peccato. Utrum sit. Si non est, cum possit esse, cur non sit. Utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solum quisquam sit, verum etiam potuerit aliquando esse, vel possit?* In postremò volumine nonnullis argumentationibus, quæ in Pelagii super Paulinas Epistolas commentariis legebantur, respondet, nam eosdem sanctus Doctor finitis duobus libris prioribus acceperat. In hoc sanè opere Pelagii consilium laudat, qui sub alienâ personâ ea contra peccatum originis objecerat, ne novitatis inde invidiam subiret: *Hec ergo, inquit Sanctus Pater cap. 3. quæ hunc sequuntur errorem nimium perversa, & Christiana repugnantia veritati, credo quòd vir ille tam egregiè Christianus omnino non sentiat.* Degebat Carthagine Honoratus vir doctus, & ab ineunte ætate Augustino charissimus, quem nondum Christianum ad Manichæos audiendos Augustinus eo morbo infectus hortatus fuerat, cui postea egregium volumen de utilitate credendi, in quo Manichæorum vanitatem confutat, nuncupavit. Hic quinque quæstionum solutionem Sanctum Doctorem rogaverat, cui Augustinus respondens, sextam contra Pelagianorum errores Carthagine jam serpentes addidit: *Ego autem, inquit 2. Retract. cap. 36. intuens superadictam hæresim novam inimicam gratiæ Dei, sextam mihi proposui quæstionem de gratiâ novi testamenti.* Erat Honoratus Catechumenus ex cap. 10. undè corrigendus titulus, ubi in plerisque codicibus Episcopus nominatur. Hoc opus habetur inter Epistolas, & est 120. ad Honoratum, quam dum scribebat, tres à Marcellino remissos libros recepit, quòd notariorum incuriâ mendis undique scatebant, quos mille occupationibus implicitus tandem emendatos ad eundem iterum perferendos curavit: *Si autem, inquit in Epist. 158. ad Marcellinum, rationem omnium dierum, & lucubrationum aliis necessitatibus impensarum tibi possem reddere, graviter contristatus mirareris, quanta me distendant, quæ differri omnino non possunt, nec agere illa permittant, in quæ me petendo, & admonendo urges volentem, & ineffabiliter, quia non possum dolentem.* Marcellinus acceptos ab Augustino libros magnâ diligentia evolvens, cum in secundo volumine legisset, posse hominem divinâ gratiâ adjutum esse sine peccato, eâ statim difficultate percussus est, quâ id ratione fieri posset, quando ipso Augustino teste, unus humani generis Servator, idemque Dei Filius sine peccato inter homines vixerit: quod dubium iterum per literas Augustino solvendum proposuit. Quare Sanctus Doctor librum de Spiritu, & literâ exarans prolixam difficultatis solutionem producit. In eo volumine multa Deo auxiliante ab homine fieri posse ostendit, quæ tamen nusquam à quoquam facta leguntur. Quâ occasione, tradit, legem sine Dei gratiâ ad peccata vitanda non sufficere, sed legi divinum auxilium sociandum, cui etiam Christiana fides deputanda est. Hæc veluti prima velitatio fuit, quâ Sanctus Augustinus in Pelagianos impetum fecit.

Sed jam nobis sermo vertendus est ad Pelagium Sectæ Magistrum in Oriente anno superiore profectum. Hic benignè à Joanne Hierosolymitano exceptus est, quòd adversus Hieronymum opportuno

presidio sibi futurus videbatur. Profectò Pelagius egregiam se operam Patrono suo navaturum credit, si Hieronymum scriptis perfringeret, ejusque famam, quæ in Palæstinâ amplissimè personabat, decurreret. Hinc editos à Sancto Doctore in Divi Pauli Epistolam ad Ephesios commentarios carpere occæpit. Interim Hieronymus commentariis in Ezechielem ad umbelicum perductis, Jeremiam Prophetam novis expositionibus illustrandum susceperat. In Proœmio verò primi libri agrè ferre se ostendit, Pelagium sua scripta lacerare, ac rancida Rufini argumenta in eadem congerere; Jansenii sententia est, Hieronymum Jeremiæ explicando intentum, Pelagii audaciam diutius patienter tulisse, nam in Proœmio lib. 3. ait de Pelagio: *Patientiam nostram de Christi humilitate venientem mala conscientia signum arbitratur.* Sed planè Jansenius hallucinatur, non eo erat stomacho Hieronymus, qui superbi hominis contumelias devoraret, nam vix primò libro in memoratum Prophetam expleto, statim contra Pelagium à Ctesiphonte rogatus stylium convertit; Hæc sunt ejus verba in Proœmio libri secundi in Jeremiam contra Pelagium: *Opinione virtutum corrumpunt in superbiam, & Deo se similes arbitrantur, ut aequalitatem, quam impia Arianorum hæresis in filio negat, cunctis hominibus tribuant, & ponant in cælum os suum, & nihil futurae sanctorum beatitudini amplius derelinquant; quorum furori respondimus, ut potuimus, & si Dominus vitam dederit, plenius responsuri sumus.* Et lib. 4. in Proœmio de Pelagio pariter loquens ait: *Cui respondere diù tacens, & dolore silentio devorans crebra fratrum expostulatione compulsus sum, nec tamen bucusque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corripere, quam infamari.* Hieronymus scriptâ satis prolixâ ad Ctesiphontem Epistolâ Pelagii conatibus in Oriente obviam ivit, illiusque audaciam, ac furorem represit, dubiæ autem fidei censetur; In eâ Epistolâ Hieronymus Origenisimam Pelagio objecit, renovatamque veterum Stoicorum apathiam, quâ homines sine ullo peccato esse posse dicebat; Divinæ gratiæ necessitatem monstravit, nihil tamen de peccato originis dixit, quòd ea quæstio haud tanto studio agitabatur à Pelagio, qui apathiæ confirmandæ unicè incumberebat; Sectam jam ille condiderat gaudens, plurimos de suo nomine Pelagianos dici, ridebatque suâ causâ homines in factiones dividi: *Fratrum, inquit ibi Hieronymus, inter se cernis jurgia, & rides, atque lataris, quòd alii tuo nomine, alii Christi appellentur.* Pelagius interim verbo discipulos docebat, nil literis mandabat; verebatur enim, ne erroris ita argueretur, ut nullus defensionis locus esset reliquus. Magistri tamen silentia discipulorum loquacitas proferebat; In id consilii Pelagius impellebatur, ut si grata essent, quæ discipuli propalabant, in magistri gloriam id referretur, sin minus, discipuli culparentur; Dei gratiam ad opera virtutis implenda necessariam autumabat, sed gratiam illam à lege, doctrinâ Evangelii, atque exemplo Christi minimè distinguebat.

Hoc anno xv. die Octobris Theophilus Alexandrinus decessit, qui contra Origenistas Orientem, atque Occidentem commovit, ille verò ob ejectionem in exilium Chrysofostomum, ejusque nomen è diptychis expunctum non parum famæ suæ nocuit. Idem tamen Theodorum Mopsuestenum Pelagianorum postea Magistrum, ac Patronum, acerrimè impugnavit, quo nomine nobis commendandus venit,

constat hoc ex collat. 5. Synodi V. Oecumenicæ, ubi hæc leguntur: *Sancti vero Theophilus Alexandrinus, & Gregorius Nyssenus susceptis querimoniis adversus Theodorum adhuc viventem, & adversus ejus conscripta, scripserunt adversus eum Epistolas, quarum pars est: Sanctæ memoriæ Theophili ad Porphyrium Antiochiæ Episcopum, ibique fragmenta contra Mopsuestenum recitantur. Scriptæ sunt illæ literæ intra annos 404. & 408. quo tempore Porphyrius Antiochiæ fedit. Scribit sanctus Joannes Damascenus lib. 3. de Imaginibus eundem morti proximum Joannis Chrysolstoni effigiem adorasse. Theophilum uti sanctum Apostolica Sedes coluit, ejusque libros omnes recepit. Sanctus Leo Magnus Epist. 97. ad Leonem Augustum ait: Sancti Theophili Episcopi Alexandrini de Epistola Paschali &c. Gelasius Papa in Romanâ Synodo unâ cum aliis Patribus approbavit: Opuscula Beati Theophili Alexandrini Episcopi. Paulus Emislenus Antistes cum in Ecclesiâ Alexandrinâ de pace inter sanctum Cyrillum, & Orientales verba faceret, dixit: Hec beati Athanasii sunt dogmata, hæc magni Theophili est doctrina, columnarum utique Orthodoxæ doctrine, acclamante populo: Filii Athanasii, & Theophili, & Cyrilli sapientiam audiamus. In actis post Synodum Ephesinam pag. 895. apud Binium.*

CAPUT V.

Sanctus Flavius Marcellinus Donatistarum, ac Pelagianorum hostis occiditur. Dies martyrii ejusdem statuitur. Insigne de illo elogium. Augustinus Carthagine publicè è suggestu in Pelagianos declamat. Pelagius ad Augustinum, & Demetriadem Virginem scribit.

Anno
413.

ANnus quadringentesimus decimus tertius luctuosus Africae, atque Augustino fuit, Marcellino viro clarissimo, ac sanctissimo hæreticorum fraude preempto. Heraclianus Africae Gubernator, ac Consul contra Honorium rebellans hoc anno cum numerosissimâ classe in Italiam appulit, ac milite exposito ad Urbem properans apud Utriculum cum Marino Honorii duce signa contulit, amissoque ingenti clade exercitum Carthaginem se recepit. Marinus cum victrici classe hostem insecutus vivum eundem cepit, statimque obruncavit. Plurimorum inde cædes secutæ sunt, non modò rebellium, sed & aliorum, qui procul ab eo crimine fuerant; faciles enim aures delatoribus Marinus dabat. Flavius Marcellinus ante biennium pro concordia Ecclesiarum Africae illuc ab Honorio missus, tanquam cum tyranno conspirasset, unâ cum fratre in carcerem conjectus fuit. Augustinus, qui tunc Carthagine aderat, amicissimi viri vices dolens, cuique ob Donatistas, ac Pelagianos in Africa repressos plurimum se, imò Catholicam Ecclesiam debere norat, nullum non lapidem movit, ut innoxium ab imminente periculo eriperet; Quanto verò in discrimine vel probi quique id temporis versarentur, exponit Augustinus Epist. 259. ad Cæcilianum: *Potestas illius, Marinum intelligit, magna tunc erat, calumniæ facilis radiabat. Non erat grande negotium, procurari aliquem, qui diceret, quod salute promissâ dicendum ille mandasset. Omnia ista in tempore suffragabantur, ut etiam uno teste tanquam invidioso, & credibili criminis sine jubentis discrimine quilibet de medio tolleretur. Quare Augustinus cum collegis Episcopis de nobilissimi, atque innocentissimi viri salute sollicitus totius Africanæ Ecclesiæ no-*

*mine Episcopum Legatum ad Imperatorem mittendum decrevit, quo statim ad Comitatum profecto, idem noster Hipponensis Præsul Cæcilianum Africae Præsidentem convenit, eumque pro Marcellini liberatione etiam, atque etiam deprecari non desistit. Cæcilianus Augustini precibus motus eidem promisit, se Marcellini salutem veluti familiare viaticum à Marino petiturum. Sed secus res cecidit, quæ ex Augustino tota accipienda est: Postero die, inquit, quo illius parturitionis nefarius fetus est ortus, cum esset nobis repente nunciatum, illos è carcere ad eum Judicem ductos, quanquam perturbati fuerimus, tamen ego considerans, & quæ nobis pridie dixerat, & qui esset post illum exorturus dies, quoniam Beati Cypriani erat pridiana solemnitas, existimavi, quòd etiam elegerit diem, quo & tibi postulata concederet, & universam Christi Ecclesiam repente lavificans ad locum tanti Martyris ascendere voluerit parcendi voluntate, quam occidendi potestate sublimior; Cum ecce nobis nuntius irruit, quo prius percussos esse nossemus, quam quomodo audirentur, querere valeremus. Contigit ergo sancti Marcellini, ejusque majoris natu fratris occisio Idibus Septembris, cui diei succedebat pridiana solemnitas beati Cypriani, qui capite plexus occubuit xvij. Kal. Octobris. Ita enim accipi ab Augustino pridianum ex contextu patet, & ex Epist. 65. ad Paulinum, ubi testatur, se festinatò scripsisse, quia delator literarum repente, ait, compertâ occasione navigii, mihi pridianam suam profectionem jam nocte suggestit. Laudatam sancti Doctoris Epistolam nec Cardinalis Baronius, nec alii Martyrologiorum concinnatores observarunt, undè Marcellini martyrium recitarunt vij. Idus Aprilis. Et quidem sanctus Augustinus ibidem nec Marinum Comitem, nec Marcellinum expresso nomine describit, sed de Marcellino loqui certum est, ut Vindingus in Critico Augustiniano primus adnotavit, nam de eodem scribit: *Religiosè vixit, & multum corde, vitæque Christianæ; Hæc eum fama præcessit, ut in causâ Ecclesiæ sic veniret, hæc consecuta est, cum venisset. Fuerat Marcellinus in Donatistarum causâ iudex ab Honorio summâ cum potestate in Africam delegatus. Et sanè illius obitum minimè contigisse die 6. Aprilis, indè satis evincitur, quòd hoc anno Heraclianus cum numerosâ adeò classe aperto mare verno tantum tempore solvere potuit ex Africa Urbem inasurus, cum tamen Marcellini mors Heracliani in Italiâ exercitus stragem, Tyranni fugam, ac tandem cædem consecuta fuerit. Occisum autem fuisse anno 413. patet ex Cod. Theod. L. 55. de hæreticis, ubi legitur decretum emissum iij. Kalend. Septembris Constantio, & Constante Consil. anno 414. quo Imperator rata habet *Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta. Floruit Marcellinus insigni apud Principem gratiâ, nam in collatione Carthaginensi dicitur Tribunus, & Notarius. De hac dignitate agunt viri eruditissimi Pancirolus de Notitiâ Imp. Orient. cap. 92. & Ladius lib. 2. de Republ. Rom. cap. 4. Audiatur Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 1. Epist. 4. Pater ejus, inquit, candidati sub Valentiniâno Principe gessit Tribuni, & Notarii laudabiliter dignitatem; honor enim, qui tunc dabatur egregiis, dum ad imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri. Erant ergo Tribuni, & Notarii Imperatoris à secretis. Honorius Africanorum Patrum legatione motus Marcellinum uti innoxium è carcere statim dimitendum jusserat, teste in laudatâ Epistola Augustino; sed Imperatoris mandata post maturatam Tribuni, &***

No-

Notarii eadem in Africam perlata sunt, quam tamen cum ille intellexisset, Marino Comiti iratus eundem statim ex Africâ revocavit, ac Magistratu deposito privatam vitam agere iussit ex Orofio lib. 7. cap. 42. Marcellinus non modò Donatistas, verum etiam Pelagianos in Africâ pullulantes compressit, nam Augustinum contrâ hos ipsos per literas excitavit. Hinc sanctus Doctor tres de Peccatorum meritis, & remissione libros, itemque proximè elucubratum volumen de Spiritu, & literâ, quibus bellum contrâ Pelagianos palam inchoavit, eidem Marcellino honoris gratiâ nuncupavit, cui etiam ingens illud, ac præclarum volumen de Civitate Dei inscripsit. Fuit Marcellinus omnium veluti virtutum compendium: *Quanta illi, inquit Augustinus Epist. 259. probitas in moribus, in amicitia fides, in doctrinâ studium, in religione sinceritas, in conjugio pudicitia, in iudicio continentia, erga inimicos patientia, erga amicos affabilitas, erga sanctos humilitas, erga omnes charitas, in beneficiis præstandis facilitas, in petendis pudor, in recitatis factis amor, in peccatis dolor? Quantum decus honestatis, qui splendor gratiâ, quæ cura pietatis, quæ in subveniendo misericordia, in ignoscendo benevolentia, in orando fiducia? Quod salubriter sciebat, quâ modestiâ loquebatur, quod inutiliter nesciebat, quâ diligentia scrutabatur? Quantum in eo contemptus rerum præsentium? Quanta spes, & desiderium honorum æternorum?* Cùm Augustinus eundem in carcere inviseret, atque ad noxarum, quæ furente quandoque concupiscentiâ committuntur, expiationem hortaretur, utràque manu, ait sanctus Pater, *meam dexteram apprehendens testor, inquit, sacramenta, quæ per hanc afferuntur manum, nec nullum esse expertum concubitum præter uxorem, nec antea, nec postea.* Sanctus Hieronymus in fine lib. 3. Dialogorum contrâ Pelagium scribit de Marcellino: *Sub invidia tyrannidis Heracliana ab hæreticis innocens cæsus est.* Undè Sanctorum Martyrum fastis ab Ecclesiâ Catholicâ additus fuit cum hoc elogio in Martyrologio Romano: *VIII. Idus Aprilis Carthagine sancti Marcellini martyris, qui ob Catholica fidei defensionem ab hæreticis occisus est.* Nempe infidiis, ac falsis hæreticorum delationibus, nam Marinum Comitem Catholicum fuisse ex laudatâ Augustini Epistolâ apertè colligitur.

Cùm Augustinus hoc anno Carthaginem perrexisset, ut cum Aurelio Primate, ac Collegis Catholicæ rei plurimum per Donatistas turbatæ consuleret, cùm plerique etiam Cælestii erroribus imbuti pravæ ibidem doctrinas spargerent, rogatus ab Aurelio in Basilicâ majori (*Majorini alii legunt, sed Carthagine Basilicam majorem, ubi Corpora sanctarum martyrum Perpetuæ, & Felicitatis sepulta erant, laudat Victor lib. 1. de Persec. Vandalicâ*) luculentissimam orationem ad Carthaginenses habuit, quæ ex sacris literis apertè ostendit, pueros nasci infectos originali peccato, excludi illos regno cælorum, si absque baptismo decedant, nec usquam fingi posse tertium locum, ubi sine baptisino gratiâ mortui felicem, ac beatam vitam agere possint. Quò verò validiùs Catholicam sententiam adversùs Pelagianorum conatus Carthaginensibus persuaderet, eandem sancti Cypriani sanctissimi illius Urbis Episcopi testimonio confirmavit; sumpto enim Cypriani codice præclaram indè sententiam recitavit, quam superiùs cap. 4. posuimus. *Audiatur Augustinus cap. 12. lib. de Gestis Pelagii ad Aurelium: Undè, inquit, coacti sumus sollicitudine charitatis, quam erga Ecclesiam Christi nos habere convenit, etiam ad beatæ memoriæ Marcellinum, qui*

eos quotidie disputatores molestissimos patiebatur, & me per literas consulebat, de quibusdam istarum questionibus scribere, & maxime de baptismo parvulorum, de quo etiam postea te jubente, in Basilicâ majori gestans quoque in manibus Epistolam gloriosissimi martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans, atque pertractans, ut error iste nefarius de quorundam cordibus auferretur, quibus persuasa fuerant, quæ in his gestis videmus damnata, adjutus orationibus tuis, quantum potui laboravi. Ex quibus patet, jam indè ab exortis Pelagianæ hæresis primordiis illius expugnandæ curam uni Augustino commissam fuisse, cùm Aurelius doctissimus alioquæ Antistes præsentè Augustino contrâ eandem loqui recusaverit; qui tamen Cælestium in superioris anni Synodo damnaverat. Laudata Augustini oratio nunc etiam legitur inter sermones ejusdem de Verbis Apostoli, estque sermo 14. in cujus calce, quo in loco Pelagianorum res id temporis essent, his designat: *Impetremus ergo, si possumus, à fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos, quòd eos talia disputantes nos appellare possumus forsitan, si vellemus, nec tamen appellamus.* Item: *Nimum est, quòd progrediuntur, multum est, vix ferendum est, magna patientiâ adhuc ferri; Non abutantur hac patientiâ Ecclesiæ, corrigantur, bonum est. Ut amici exhortamur, non ut inimici litigamus &c.* Non expedit adhuc, fortè nostra non est reprehendenda patientia, sed debemus timere, ne culpetur etiam negligentia. Quare Cælestio Carthagine pulso mitiùs cum discipulis agebatur, qui licet Catholicos hæreticorum nomine insolenter æquè, ac falsò traducerent, à Catholicis tamen inter hæreticos nondum deputabantur, nihilque interim contrâ eosdem statuebatur, quòd ad rectum dogma brevi reverfuri crederentur. Recitavit hanc orationem Augustinus in die natali sancti Joannis Baptistæ, ut ex ejusdem exordio liquet. Hoc verò anno laudatum sermonem Sanctum Episcopum ad Carthaginenses habuisse, indè mihi probatur, quòd post scriptos libros ad Marcellinum se eandem concionem recitasse affirmat, ut ex cap. 12. de Gestis Pelagii adnotavimus; quare cum anno 412. laudatos libros elucubravit, & fortè hoc tantum anno correctos ad Marcellinum remisit, post illum annum eandem orationem habuit. His adde, quòd anno CCCCXII. xvij. Kal. Julii Augustinus cum reliquis Numidiæ Episcopis Cirtæ aderat in Synodo ex Epist. 152. in cujus fine legendum esse, *Honorio Augusto IX. Conf. cruditè Baronius observavit.* Anno verò 414. Hippone degit sanctus Doctor pluribus libris conscribendis intentus, ut postea ex Epist. 102. ad Evodium ostendemus. Quare cum certò constet, sanctum Doctorem hoc anno diutiùs Carthagine commoratum usque ad Marcellini cædem, optimo jure laudatam contrâ Pelagianos declamationem anno præsentè recitatam diximus. Cæterum Augustinus occiso die 13. Septembris patrono, atque amico, pro cuius salute longiores apud Carthaginem moras traxerat, tanto animi angore correptus fuit, ut alterâ statim die licet solempni ob annum festum sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi indè properè discedens mœstissimus Hipponem redierit; nequè enim Marini vultum sustinere amplius potuit, hominis innocentissimorum fratrum cruore polluti. Simul ac verò suis restitutus fuit, longiorem ad Cæcilianum Africæ Præsidem Epistolam scripsit, quâ de illatâ Marcellino per summam injuriam nece conquerebatur, nam fama erat, Marinum Comitem de obtruncando Marcellino cum Cæciliano consilia commissa-

casta.

caste. Legatur Epist. 259. in quâ totius tragicæ narrationem Augustinus exhibuit.

Hoc anno Pelagius, cum alicujus nominis sibi esse videretur, in aliorum gratiam per literas irrepere tentavit. In primis illud unicè eidem curæ erat, Augustinum sibi benevolum vel facere, vel servare; videbat enim si adversantem habuisset, cum quo potentissimo hoste sibi luctandum foret. Itaque Augustinum humanissimis literis convenit, totus laxatis habenis in Sancti Doctoris laudes effusus commendabat raras ipsius animi dotes, quibus erat instructus, altum, ac sublime ingenium, cui cæteri vel doctissimi falces submitterent, arbitratus hac veluti laudum ostiâ injectâ foporem viro adversus hæreses vigilantissimo injicere. Sensit hæretici dolos Augustinus, ac sub herbâ latitantem anguem; brevem tamen Epistolam eidem reposuit, quam primus omnium typis edidit noster Ludovicus ab Angelis lib. 5. de Vitâ Sancti Aug. cap. 14. illam autem excerptit ex libro de Gestis Pelagii M. S. in Bibliothecâ Canoniorum Regularium Fesulensium, qui postea liber in lucem datus est. Apponam Epistolæ exemplum; eam enim veluti aggerem adversantium accusationibus postea opponere solebat idem Hæresiarcha, quo fidei suæ integritatem vel ipso Augustino teste probaret.

Domino dilectissimo, & desideratissimo Fratri Pelagio Augustinus in Domino salutem.

GRatias ago plurimum, quod me literis tuis exhilarare dignatus es, & certum facere de salute vestra; retribuatur tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, & cum illo vivas in æternum, Domine dilectissime, & desideratissime frater. Ego autem & si non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis Epistola continet, benevolo tamen animo ergâ exiguitatem meam ingratus esse non possum, simul admonens, ut potiùs ores pro me, quò talis à Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris. *Et aliâ manu.* Memor nostri incolumis Domino placeas Domine dilectissime, & desideratissime frater.

Sed cur illum Augustinus erroris non admonuit? Imò in omnibus penè verbis hujus Epistolæ abs se tacitè eundem admonitum fuisse per singula discurrendo à salutatione ad ipsam usque subscriptionem ostendit Augustinus libro de Gestis Pelagii cap. 29. Scriptam autem Epistolam Pelagio jam malè audienti restatur Auctor ibidem inquit: *Dixi, desideratissimum, quoniam valdè cupiebam, cum præsentè aliquid colloqui; jam enim audieram contrâ gratiam, qua justificamur, quando hinc aliqua commemoratio fieret, aperta eum contentione conari.* Et antea: *Sine ejus commotione quæstiones de Dei gratiâ rectè sapere admonui.* Ibi enim & à Deo eidem bona optavit, & precum necessitatem inculcavit, *ut eum, inquit, sic admonerem contrâ quod ille sapiebat, ipsam quoque justitiam, quam in me laudandam putaverat, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

Demetrias nobilissima virgo Romana Gothicam rabiem effugiens in Africam tum temporis transmiserat, cum Heraclianus factâ rebellionè bellum urgebat; ibi Sancti Augustini exhortatione jam patris ferè nuptiis castæ vitæ propositum induens postea cum Julianâ matre Hierosolymam navigans sacrarum Virginum choro sese adjunxit. Quare falluntur ii, qui ab Augustino Demetriadem sacro velo ornatum putant, quòd ex Epist. 179. ad Probam, & Julia-

nam redarguitur. Hoc generosum, piumque nobilissimæ Virginis propositum celeberrimos quoque illius ævi Scriptores in commendationem Demetriadis provocavit. Gratulatus est cum matre Augustinus Epist. 179. Hieronymus elegantissimas quoque ad ipsam puellam literas dedit, & qui primo loco ponendus erat Sanctus Innocentius Pontifex. Pelagius quoque, ut caneret inter olores, ad eandem Virginem luculentissimam, ac prolixam satis Epistolam perscripsit, quam jubente Julianâ se dictasse testatur. Unum hocce opusculum Pelagii habemus cum symbolo fidei ad Innocentium misso. Universas & calliditatis, & elegantie vires in unâ illâ Epistolâ exerit Pelagius; ita enim hæreticas sententias componit, ut non solum Catholicus à pluribus habitus sit, sed eadem Epistola inter Augustinianas, vel Hieronymianas per plura sæcula locum habuerit. Beda in Præfatione ad librum Canticorum Juliano illam adscripsit; Primus tamen etiam antè Sanctum Augustinum Paulus Orosius illam tanquam Pelagii opus publicavit, atque impugnavit, nempe anno 415. ut dicemus. Audi ipsius Epistolæ, post nonnulla veluti proœmii loco præmissa, exordium elatum, atque superbum: *Quoties mihi de institutione morum, & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo prius humanæ naturæ vim, qualitatemque monstrare, & quid efficere possit, ostendere, ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum, ne nihil proficit ad ea vocari, quæ forte sibi impossibilia esse præsumperit.* Postea: *Hæc igitur prima sanctæ, ac spirituales vitæ fundamenta jaciuntur, ut vires suas Virgo agnoscat, quas demùm benè exercere poterit, cum eas se habere didicerit.* Inde pluribus exemplis probat, hominem vivere posse sine peccato. At ne Dei gratiæ oblitus videatur, addit: *Nam si etiam antè legem, ut diximus, & multò antè Domini nostri Salvatoris adventum justè quidam vixisse, & sanctè referantur, quanto magis post illustrationem adventus ejus nos id posse, credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus.* Ita sub ambiguo gratiæ vocabulo quasi in aureo calice venenum propinabat. Sed insidiæ non ita occultari à vaferrimo homine potuere, quin nudam se in eadem Epistolâ Pelagianæ hæresis ostenderet: *Corporalis nobilitas, atque opulentiæ avarum, inquit, intelliguntur esse, non tua; spirituales vero dignitates, nullus tibi præter te conferre poterit.* In his ergo jure laudanda es, in his merito cæteris præferendæ, quæ nisi ex te, & in te esse non possunt; quæ planè ex Tullio, & Senecâ excerpta videntur, quorum verba cap. 1. posuimus. Hæc Pelagii Epistola ab hinc quadriennio ad minùs in Augustini manus venit, qui statim unâ cum Alipio ad Julianam scripsit, essetne ea Epistola Pelagii, nam absque nomine ad ipsum delata fuerat, pluribus etiam hæreticum sensum detegit, quo adversus Pelagianas versutias nobiles illæ fœminæ fierent oculatæ; In iis verò literis Sanctus Doctor meminit Epistolæ, quam Pelagius anno 417. ad Innocentium in sui defensionem dedit, in quâ hujusce sui ad Demetriadem operis mentionem fecit. Quædam hujus Pelagii Epistolæ excerpta expendit Augustinus in lib. de Grat. Christi à cap. 37. At jam inde ab initio antequàm quicquam hæreticus ad Demetriadem scriberet, Hieronymus eruditissimis literis ejusdem animum adversus Pelagianorum versutias præmunierat, rogans, ut unius Romanæ Ecclesiæ fidem sequeretur, Rufini olim ab Anastasio percussus, quòd ex Oriente Origeniana dogmata Romanis auri-

bus,

bus, oculisque ingessisset, discipulos, ad venenatorum dogmatum hæredes vitaret, Hydram quidem extinctam, sed vivere adhuc, ac pullulare novella plantaria, quibus Pelagianos significabat. Legatur ejusdem proœmium in lib. 6. Comment. in Ezechielem. Verum quidem est, in eâ Epistolâ intelligi à Hieronymo non unum Pelagium, sed cæteros etiam Originistas, nam monuit Demetriadem, ne vanam illam animarum in cælis inhabitationem, antequam in corpora detrudantur, crederet, à quo dogmate procul fuit Pelagius vel teste ipso Hieronymo in fine libri 3. Dialogorum. Cæterum Pelagius inter reliquos Originistas censebatur, licet in nonnullis dissentiret.

CAPUT VI.

Liber Pelagii ab ejusdem discipulis proditur, & ab Augustino impugnatur. Sanctus Doctor Cœlesti sopbismata dissolvit. Paulus Orosius ex Hispaniâ ad Augustinum venit, inde in Asiam ad Hieronymum pergit.

^{Anno} ^{414.} Anno 414. Pelagiana hæresis clariùs prodita est à Timasio, & Jacobo ipsius Pelagii discipulis. Res autem hoc pacto se habuit. Plures jam sibi Pelagius discipulos in Palæstinâ asciverat, quibus secretiora hæresis mysteria tradebat. Cum verò se à Hieronymo datâ ad Ctesiphontem Epistolâ acerrimè impugnari animadverteret, nec tamèn quidquam edere vellet, ne ex scriptis hæreseos convictus damnaretur, id denique consilii cœpit, respondere quidem Hieronymo, non tamen volumen publicare; Itaque quò discipulos in fide contineret, neve illi scholam desererent, librum elucidrare statuit, quo & suam sententiam assereret, & Hieronymi argumenta dilueret; Illius voluminis nonnulla tantum fragmenta leguntur in libro Sancti Augustini de Naturâ, & Gratiâ, ex quibus haud indubiè illud adversus Epistolam ad Ctesiphontem emissum credimus. Initio quidem Epistolæ objicit Hieronymus, quòd dicerent cum Diabolo: *In cœlum ascendam, super sydera cœli ponam thronum meum, & ero similis Altissimo;* Quæ enim esse potest major temeritas, quàm eum Deo non dicam similitudinem, sed æqualitatem sibi vendicare? At Sanctus Augustinus cap. 34. hæc de Pelagio loquitur: *Abstinet autem, ut ei dicamus, quòd à quibusdam contrâ se dici ait, comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur, quasi verò Angelus, quia absque peccato est, comparatur Deo.* Scribit in eadem Epistolâ Hieronymus: *Nullum, aut rarum sine peccato proferre potes. Item: Egregii Doctores, dicunt esse posse, quòd nunquam fuisse demonstrant.* At Pelagius cap. 36. laudati operis Augustiniani latè exemplis Abel, Enoch, Melchisedech, aliorumque complurium probat, posse hominem esse sinè peccato. Adducit ibidem Hieronymus plura testimonia sacrarum literarum, quibus probat, nullum hominem esse sinè peccato; Porro hæc ipsissima testimonia explicantur à Pelagio apud Augustinum cap. 7. ubi contendit, iis testimoniis ostendi, quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quòd aliud esse non potuerint. Rursus sic Hieronymus premit Pelagium: *Responde mihi, velis, an nolis cavere peccato?* At scribit Augustinus cap. 59. de Pelagio: *Quòd verò contrâ eos disputat, qui dicunt, & quis nolit sine peccato esse, si hoc in hominis esset positum potestate?* Objicit Hieronymus Apostolum dicentem ad Gal. 5. *Caro desiderat contrâ*

Spiritum, & Spiritus contrâ carnem. Rursus latè verlat illa ad Rom. 7. *Non enim, quòd volo, illud operor &c.* Quas auctoritates exponit Pelagius apud August. cap. 52. & seqq. His sanè adducor in eam opinionem, cum idem Pelagius postea etiam scripserit contrâ libros Dialogorum ejusdem Hieronymi. Ut ut sit de hoc, Pelagius in eo opere naturæ vigorem, liberique arbitrii vires contrâ gratiam prædicabat; & ne solus ea asserere videretur, nonnullorum Patrum testimonia pro se adduxit, quos inter ipsos Antagonistas Hieronymum, & Augustinum. Hunc librum hoc pacto publicatum scribit Augustinus. Erant inter alios Pelagii discipulos Timasius, ac Jacobus adolescentis honestissimè nati, qui ipsius Pelagii exhortatione Monasticam vitam agebant, at pravè doctrinis imbuti contrâ Dei gratiam disputabant. Hæc ubi Augustinus accepit, admonere identidem juvenes non destitit, qui, cum primum corrigi cœpissent, secretum Pelagii librum ad Augustinum miserunt. Jam inde ab initio hæresis, cum adhuc Pelagius Romæ moraretur, aliqua illius scripta Augustinus legere desiderabat, sed tandiù irrita ejusdem vota per memoratos juvenes impleta sunt. Augustinus, ut testatur initio libri de Naturâ, & Gratiâ, cæteris, quæ ad manum aderant, intermissis Pelagii librum evolvit, quem cum erroribus passim scatentem cognovisset, statim justum eidem volumen opposuit, quòd de Naturâ, & Gratiâ inscriptum iisdem adolescentibus, qui Pelagianum librum prodiderant, nuncupavit, quo veluti præsentissimo antidoto egregiè illi juvenes præmuniti Pelagianum virus evomere. Docet autem Sanctus Doctor, neminem per legem naturæ salvari posse, sed tantum per fidem, & Sacramentum Sanguinis Christi. Non ita laudandum esse Creatorem, ut convincamur dicere superfluum Salvatorem: laudandam hominis naturam primitivè à Deo creatam, sed hanc Adæ peccato sauciã ab eodem sanandam esse. Vitia, quæ patimur, non divino operi, sed voluntati humanæ, justæque Numinis vindictæ adscribenda: in nostrâ quidem fuisse potestate, ne illa acciderent; ut autem auferantur, à Deo solum sperandum, illumque insuper exorandum, non modò, ut præterita peccata condonet, verum etiam rogandum, ut futuris suâ nos gratiâ eximat. Neminem, exceptâ Dei genitrice, fuisse sinè peccato: libertatem arbitrii divino auxilio roborandam: nullum denique veterum Patrum contraria docuisse, quòd explicatis eorundem à Pelagio adductis testimoniis eruditè demonstrat. Hæc ibi Augustinus, qui tum primum Pelagium hæretica docere cognovit: *Proposuit de gratiâ, inquit, quæstionem; id respondit, quòd habebat in corde; definit a quæstio est, non quam volebamus, sed ubi, quid sentiret, dubitabamus.* Paulus Orosius Hispanus Augustini famâ permotus Hipponem venerat, quò nonnullarum difficultatum solutionem impetraret. Ab Augustino uti sacratori Christiani Orbis oraculo undequaque responsa petebantur; ac si illo loquente Deus occulta revelaret. De his tantum sermonem faciemus, quæ Pelagianæ Historiæ congruent. Cum Syracusis Pelagii discipuli nova dogmata publicantes graves turbas darent, Hilarius quinque quæstiones sibi explicandas ad Augustinum è Sicilia transmiserat. Hic autem non minùs eruditam, quàm prolixam Epistolam reposuit pluribus demonstrans, neminem in hac vitâ vivere posse sinè peccato: liberum arbitrium absque gratiæ auxilio non posse mandata divina fervare: damnari infantes sinè baptismo ex hac vitâ migrantes: non

non teneri divites ad universa bona pauperibus eroganda: neminem denique esse debere ad jurandum proclivem. Nondum erat id temporis Hilarius Episcopus, nam in epigraphæ Epistolæ inter Augustinianas 89. *filius* à Sancto Doctore nominatur. Anno verò 417. cum alteram ad eundem Epistolam 94. Augustinus per Palladium misit, ad Sacrum Syracusanæ Ecclesiæ thronum evectus fuerat; vocatur enim ab Augustino Frater, & Con-Sacerdos. Eodem fere tempore cum Paulus, & Eutropius Episcopi Gallicani plurimum hæresum Commonitorium Augustino detulissent, libellum etiam eidem dederunt Pelagianis ratiunculis contextum, quem ex Sicilia acceperant, & Cœlestii nomine circumferebatur. Augustinus, cum nusquam novos Pelagianorum motus intelligeret, ingens, ac jamdiu meditatam opus inchoarat, nempe expositionem Psalmorum, simulque volumen de Civitate Dei penè cœptum prosequeretur. Vix autem tres Psalmos interpretatus fuerat, duosque libros prioribus tribus de Civitate Dei addiderat, cum ad Pelagianos styllum convertere cœctus esset. Ex Epistolâ 102. ad Evodium.

Non convenit inter Scriptores, à quonam Paulus Orosius ad Augustinum missus fuerit. Nonnulli missum putant ab Erote, & Lazaro Galliæ Episcopis, qui anno 415. Pelagium apud Palæstinos Episcopos accusarunt. Alii illius peregrinationis auctores faciunt Eutropium, & Paulum. Ita Baronius, & Bivarius, ille in Annalibus ad annum 414. iste in Comment. Chronicæ Flavii Dextri ad annum 400. Sed hæc quæstionem ipse Orosius tollit, qui in Epistolâ ad Augustinum, quæ habetur tom. 6. ante librum adversus Priscillianistas, & Origenistas, scribit: *Ad te per Deum missus sum, de te per eum spero, dum considero, qualiter actum est, quod huc venirem. Agnosco cur venerim, sine voluntate, sine necessitate, sine consensu. De patria egressus sum, occultâ quadam vi actus, donec in istius terræ litus allatus sum. Hic demum in eum respici intellexi, quod ad te venire mandabar; impudentem non iudico, si accipis consentem.* Facilius sane erat illis Auctoribus ista legere, quam, à quibus Orosius missus fuerit, indagare. Ex his patet Chronologiæ Flavii Dextri anti-historia, inanisque pro eadem defendendâ Bivarii labor; scribit enim Dexter anno 400. Orosium ab Episcopis Hispaniis ad Synodum Africanam cum mandatis legatum. Audiat ipse Augustinus hæc ad Evodium de Orosio scribens: *Ad nos ab ultimâ Hispaniâ, id est ab Oceani litore solo sanctarum scripturarum ardore inflammatus venit.* Erat in animo Orosio, tradere Sancto Doctore commonitorium, seu consultationem de pravis Priscillianistarum, atque Origenistarum sententiis, quibus Hispaniæ agitabantur; sed cum quotidie tantis occupationibus obrutum Augustinum videret, ne sèssio novos labores adderet, rem procrastinabat, cum Eutropius, & Paulus supervenire plurimum Cœlestii ratiocinationum confutationem Sanctum Doctorem rogaturi. Orosius quidem in eadem Epistolâ testatur, illos Episcopos Commonitorium dedisse de aliquantulis hæresibus. Cum verò habeamus Augustinum librum de Perfectione justitiæ ad Eutrophum, & Paulum dedisse, in quo, ut petierant, Cœlestii sophismata dissolvit, neque ullum aliud Augustinianum ad eisdem opus per scriptum legamus, hæc Cœlestii argumenta ad illud Commonitorium referenda sunt. Librum igitur elucubravit Augustinus, cujus hunc titulum legimus *De Perfectione justitiæ*. In hoc volumine Cœlestii ratiocinationes diluit (sexdecim illæ

numerantur) quibus probare hæreticus nitetur, hominem solis ingenitis arbitrio viribus posse esse sine peccato. Augustinus verò constanter docet, vitari posse peccatum, si gratiâ Dei per Jesum Christum natura vitiata sanetur, quæ in tantum sana non est, in quantum id, quod faciendum est, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non implet: Non esse opus liberis liberatore, sed servis, ut eis dicat gratulatio libertatis: *Salvasti de necessitatibus animam meam.* Ps. 30. Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ læsa non fuisset, si bona permansisset voluntas: Dei unius esse, hominem facere, & reficere. Plura etiam postea exponit testimonia, quæ ex sacris literis Cœlestius opponebat, ut hominis voluntatem contra divinam gratiam erigeret. Hunc librum de Perfectione justitiæ inter illos, quos in libris Retractionum recensuit, Augustinus non numeravit, quod inter Epistolas respondendus sit, ut ex hoc initio ejusdem patet: *Sanctis fratribus, & Coepiscopis Eutropio, & Paulo Augustinus.* Eius tamen esse tres præcipui Sancti Augustini discipuli, ac defensores acerrimi testantur, Prosper in fine libri adversus Collatorem, Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 2. & Possidius in Indice. Scripsum verò hoc ipso anno constat, nam Orosius, antequam discederet ex Africa, Paulum, & Eutropium Sancto Doctore Commonitorium illud tradidisse in memoratâ Epistolâ narrat.

Augustinus, ut Orosio morem gereret, ejusdem consultationi respondens, Priscillianistarum, atque Origenistarum deliria summâ perspicuitate, ac brevitate rejecit, ac librum assertionem peccati originalis, veluti capitalem Pelagii errorem suffocaturus, conclusit. Orosius de origine animæ certius aliquid ab Augustino cognoscere desiderabat, sed eâ in quæstione magnum illud ingenium perpetuo fluctuavit. Illam quidem è nihilo creatam citrà dubium asseverasset, sed in eâ sententiâ peccati originalis traducem difficillimè explicari autumabat; diu verò hæc dubitatione agitatus, solutionem, cui acquiesceret, desperans à Hieronymo rei difficilis intelligentiam petere decrevit. Quare Orosium monuit, ut Hieronymum adiret, originem animæ ab eodem intellecturus. Itaque prolixam Epistolam de Origine animæ ad Hieronymum dedit, in qua omnes eâ de re sententias examinat, quibusve in singulis difficultatibus prematur, exponit. Epistolam istdem omnino verbis finit, quibus opus ad Orosium conscriptum clauditur, hæc autem sunt: *Sed antequam sciam quantum earum potius eligenda sit, hoc me non temere sentire profiteor, eam, quæ verâ est, non adversari robustissimæ, ac fundatissimæ fidei, quæ Christi Ecclesiæ nec parvulos homines recentissimè natos à damnatione credit nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis Sacramentis commendavit, posse liberari.* Quando verò Augustinus ad Orosium scribebat contra Priscillianum, jam ejusdem Orosii in Orientem iter decretum erat, nam cap. 12. sic Orosium alloquitur: *Quamvis autem desiderativè rogem, votis ardentibus exoptem, & expectem, ut per te mihi Dominus huius rei auferat ignorantiam, nempe de origine animæ.*

Hic nobis probandum restat, Timasii, ac Jacobi conversionem, atque hæc, quæ de Orosio diximus, hoc anno 414. contigisse, nam illa ad annum sequentem Jansenius refert. Augustinus Epist. 102. ad Evodium recenset quæcunque illo anno, antequam ejusdem Epistolam acciperet, literis mandarât, narrans se duos de Civitate Dei libros scripsisse, quartum scilicet, & quintum: insuper trium Psalmorum expli-

explicationem (quæ quidem volumina adveniente Quadragesimâ abs se inchoata testatur) addiditque duos ad Hieronymum libros; tertium ad Orosium, cui, inquit, *ut ad Hieronymum quoque pergeret, persuasit.* Et postea: *Scripti, inquit, etiam grandem quandam librum adversus Pelagii hæresim cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Christi opinionem perniciosissimam illi persuaserat.* At Orosius mense Julio anni sequentis erat Hierosolymæ, quod aperte constat ex his, quæ idem habet in Apologiâ, ut mox dicemus. Quare hoc anno eos libros à Sancto Doctore elucubratos compertum sit. Puto autem, Orosium Hippone solvisse hoc ipso anno, antequam Augustinus librum de Naturâ, & Gratiâ perfecisset; etenim secum illum in Asiam deportasset, ut Epistolam illam satis prolixam ad Hilarium datam ad ipsum Hieronymum detulit. Adde Orosium in confesso Hierosolymitano de libro de Naturâ, & Gratiâ dixisse: *Hoc Augustinus Episcopus Scriptis suis, sicut auditis exhorruit, hoc in ipsis nunc Pelagii scriptis suâ responsione condemnat.* Et Hieronymus, qui anno sequenti scripsit libros Dialogorum, cum mentionem fecisset trium Sancti Augustini librorum de Peccatorum mer. & rem. ait Pelagium alloquens: *Alios quoque specialiter tuo nomini culere dicitur.* Nempe librum de Naturâ, & Gratiâ, quæ quidem ab Orosio intellexerat.

CAPUT VII.

Hieronymus libros Dialogorum contra Pelagium scribit. Hæreticus Hierosolymis à Joanne Episcopo examinatur. Fanfani hallucinatio notata. Orosii Apologia de libertate arbitrii defenditur.

Anno 415. Augustinus anno 415. acri studio, ac continuato labore Davidicos Psalmos interpretabatur, quod opus anno superiori inchoaverat. Quam verò huic expositioni intentus incuberet ex his, quæ hæc de re in Epistolâ 102. ad Evodium scripsit, accipitur: *Ab his, inquit, me revocari, & retardari irruentibus de transverso quibuslibet questionibus nolo, ita ut nec libros de Trinitate, quos diu in manibus verso, nondumque complexi, modò attendere velim.* At quoties in illâ Psalmorum interpretatione argumentum poscit, divinam gratiam commendat, ac liberi arbitrii superbiâ comprimit, ut nec sic à Pelagianis impugnandis avocari poterit. Toto hoc anno in Oriente stylum morari necesse est; Pelagius enim uti hæreticus coram iudice non semel causam agere coactus, non unum profundæ calliditatis argumentum dedit.

Hieronymus tùm in Epistolâ ad Ctesiphontem commodius, se plura contra Pelagium scripturum spondisset, crebrâ amicorum exhortatione provocatus hoc anno libros Dialogorum tres adversus Pelagium emisit. Quò tamen illius verecundiæ parceret, Socratico more ex utraque parte, quod diceretur, vel dici posset, exponens, Attici, & Critobuli nomina induxit secum invicem disceptantium, ut & Catholicorum sententiæ, & adversariorum dicta exprimerentur majori, quâ fieri posset brevitate, ac claritate. Semel tantùm in procemio Pelagium, ut hæreseos restauratorem nominavit: *Jovinianus, ait, tuus, ò Pelagi, à te nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem me absente turbavit.* Hinc Pelagius sui ipsius gloriâ Hieronymum morderi, atque invidiâ succendi dicitabat, ad se scriptis exagitandum, quod tum ipse Hieronymus in Prologo hujus operis, tum Augusti-

nus lib. 2. contra Julian. cap. 10. contestantur. Hosce Dialogos paulò antè Synodum Diospolititanam, quæ hoc anno exeunte celebrata fuit, evulgavit, siquidem Orosius in Apologiâ, quam post Septembrem contra Pelagium emisit, hæc habet de Hieronymo: *Similiter & in libro, quem nunc scribit, collatâ in modum dialogi altercatione, confutat.* Idemque Hieronymus respondens literis Augustini per Orosium acceptis: *Certe, ait, in dialogo, quem nuper edidi, tuâ Beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum.* Orosius autem mense Decembri iter in Africam maturabat, ut dicemus, atque initio statim anni in Africam navigavit. Unde minùs exactè Batonius scribit, Hieronymum post Synodum Diospolititanam Dialogos publicasse. De his Hieronymi libris testatur Julianus, Augustinum scripsisse Alexandriam: *Pelagium Scripturarum ab eo oppressum motibus arbitrium liberum vindicare non posse.* Lib. 4. Oper. imp. cap. 87. Suspicio eam Sancti Doctoris Epistolam datam fuisse ad Cyrillum. Porro in his libris toto Scripturarum Sacrarum campo Pelagianos insequitur, divinam gratiam commendans, atque vanam hæreticorum apathiam jugulans. De peccato originali suam tantùm in fine libri tertii sententiam posuit dicens, de illo argumento Augustinum scripsisse, undè novo fanè labori super sedendum arbitrabatur, ne sibi illud Horatii objectaretur: *In sylvam ne ligna feras,* aut enim diciturum se, inquit, eadem, quæ Augustinus, ex superfluo, aut si nova, à clarissimo ingenio occupata esse meliora. Quibus ad Augustinum voluminum commendationem nihil afferri potest illustrius. Illa tamen fuere primæ veluti Augustini contra Pelagianos velitationes; libris enim, quos Sanctus Doctor postea contra Julianum emisit, idem veluti triarii decertasse dicendus est, siquidem anteriora volumina sive vim argumentorum, sive doctrinæ subtilitatem spectes, longo superant intervallo. Hinc Hieronymus, licet diu superstes fuerit, ac suos hosce dialogos à Pelagio impugnatos videret, silentium servavit, uno tonante ex Africâ in Pelagianos Augustino. Imò cum hic scripsisset Hieronymo, an respondisset Anniani objectionibus, quibus scripta ad Ctesiphontem Epistola oppugnabatur, rescripsit Augustino: *Si autem Dominus vitam tribuerit, & notiorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus, non ut convincamus hæresim emortuam, sed ut imperitiam, atque blasphemiam ejus nostris sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret Sanctitas vestra, ne compellamur contra hæreticum nostra laudare.* Epist. 24. apud Aug. Nullam tamen responsonem elucubravit, sed intrâ Bethlehemiticæ rupis silentia sese continens, veluti intrâ castra emeritæ militiæ miles Augustinianæ contra Pelagianos pugnæ spectator usque ad obitum fuit, novis subindè literis Augustino victorias gratulatus. Posthac unus Augustinus Catholicam fidem contra novos illos Dogmatistas tutatus est. Nam licet in Africâ summâ in æstimatione ob sanctitatis, ac doctrinæ famam esset Aurelius Carthaginensium Antistes, ac totius Africæ Primas, hic tamen præsentè Carthagine Augustino silebat, unusque Hipponensis Episcopus ad populum declamabat, quod ex Sermone 14. de Verbis Apostoli supra ostendimus, & ipsemet Augustinus modestissimus vir his fatetur in Prologo Retractionum: *Tantumque mihi tributum est, ut ubicunque me præsentè loqui opus esset ad populum, rarissime tacere, atque alios audire permetterer.* Sed de his aliâs.

Cum Orosius in Asiam appulisset, Hieronymum

Ratim

statim adiit, euncta quæ Carthagine contra Cœlestium peracta fuerant, exponens, libros etiam de Peccatorum meritis, & remissione ab Augustino contra Pelagium elucubratos prodidit, literasque exhibuit, quas Sanctus Doctor nuper ad Hilarium in Siciliam miserat. Hæc ubi à Hieronymi amicis per Palæstinam vulgata sunt, Pelagii fides in suspicionem vocata est, neque enim viri cordatiores sibi persuadere poterant, Hieronymum, & Augustinum, quos veluti Christianæ Reipublicæ Consules Catholicus Orbis suscipiebat, Pelagium impugnamum suscepisse vera edocentem. Joannes Hierosolymitanus, quod Pelagium Catholicum credebat, ejus enim sententias de Cœlesti tantum noverat, ægrè ferebat hæc passim de nihilissimo sibi homine spargi, cum tamen pejus in dies audire illum post Orosii adventum ad Palæstinos animadverteret, ne suborta dissidia latius propagarentur, pluribus Hieronymo, multis etiam Pelagio ad stipulantes, coram toto Clero Hierosolymitano iudicio agere decrevit, placuitque Orosium acciri Hierosolymam, qui è vestigio advenit. Joannes eorundem urbanæ Synodo Orosium rogat, quæ in Africa adversus Cœlestium gesta sint, edisserat. Ille dum Cœlestium Carthagine ab Aurelio, aliisque Episcopis damnatum respondit, atque ex Africa au fugisse. Se verò discedente Augustinum Pelagii librum ab hujus discipulis ad eundem missum consutare, habere secum ejusdem Hipponensis Episcopi Epistolam, quam nuper in Siciliam ad novos hæreticorum conatus compelescendos destinaverat, quam quidem Epistolam illis jubentibus legit. Accessit inde in consessum Pelagius interrogatur, doceret-ne ea, quæ Augustinus in Epistola ad Hilarium confutarat. Ille, ut erat impudentissimus, ac tunc subinfecto in Augustinum animo, respondit: *Ecquis est mihi Augustinus?* Cum verò universi conclamassent, blasphemasse in Episcopum, cujus industriâ hæresum monstros suffocatis toti Africæ expetita diu pacis dies affullerat, expellendumque ut hæreticum non modò ab illo conventu, verum etiam ab Ecclesiâ; Joannes sui auctoritate interpositâ iudicio rem decerni imperavit, & ne Pelagio quicquam rursus injuriæ in Augustinum excideret, esse se Augustinum dixit, liberè suam sententiam exponeret, rogavitque Orosium promerere, si quæ Pelagio objicienda arbitraretur. Ille docere Pelagium dixit, posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei facillè custodire, si velit. Hæc quidem fassus Pelagius, cum tamen id non absque Dei gratiâ fieri posse asseveraret, non levis confusio exorta est. Instabat Joannes Orosio, ageret ac culatorum, se tunc iudicem futurum, cui Orosius: *Nos accusatores hujus non sumus, sed quid Fratres tui Patres nostri senserint, & decreverint super hac hæresi, quam nunc Laicus vulgò prædicat, intimamus.* Joannes, cum præmississet, Zachariam, & Elisabetham pronunciatos esse justos, divinam tamen gratiam ad vitæ sanctitatem servandam pernecessariam esse tribus sacrarum literarum testimoniis comprobavit. Illo turbabatur Orosius, quod Joannes olim Cotyphæus fuerat Origenianæ scholæ, quæ apathiam, seu impeccantiam, defendebat, atque eò quæ de Zacharia, & Elisabetha dixerat, referebat. *Quod quidem, inquit, ab Origene dictum, ab eo profertur compluribus nobis notum erat.* At Pelagium ex Origene suam doctrinam mutuasse, nulli dubium erat. Accedebat, quod Orosio cum Græcis per interpretem loquendum erat, quem Pelagianæ fidei esse cognoverant Possenius, Avitus, ac Dominus ex duce, qui sæpè vel

pravè interpretantem, vel plura suppressentem, vel alia ex aliis suggerentem consultaverant. Erat Avitus Presbyter Bracarensis ex Idatio in Chronico. Quare cum plura hinc inde dicta fuissent, nihil de Pelagio judicatum est, decretumque, rem integram ad Innocentium Pontificem deferri, in quam sententiam omnes pedibus ivere. Hic confessus habitus est Hierosolymæ exeunte Julio; nam Orosius testatur se post septem, & quadraginta dies Hierosolymam rediisse primâ eucaniorum die. Hoc festum verò ob dedicationem Martyrii celeberrimi templi à Constantino Magno extracti eà in Urbe agebatur die 14. Septembris, de quo hæc recitat Nicephorus lib. 8. cap. 50. *Erat is decimus quartus mensis Septembris dies, qui ab eo tempore in Ecclesiâ Hierosolymitanâ quot annis publicè ab omnibus festus, & celebris agitatus est octo ex ordine diebus conventibus celebrandis, quibus diebus ex omni terrarum Orbis homines eò conveniunt, & ad festos conventus concurreunt, arcana sacra peracturi, & loca sancta cognituri.* De Martyrii consecratione latè agit Eusebius lib. 4. de Vita Constantini, & ex eo Baronius ad annum 335. di. 3. Pelagius, ejusque satellites Joannem convenientes plura in Orosium, qui novum Pelagii periculum molitus fuerat, congeriebant, tandemque in eam sententiam eundem traxerunt, ut crederet, Orosium asserere, nec per Dei gratiam homines esse posse sine peccato. Hinc cum primâ solemnitate die Orosius Joanni sacra peracturo adstitisset, acriter ab eodem ut hæreticæ doctrinæ assertor: repulsus gravem ignominiam tulit. Ille verò quò se defenderet, objectamque hærescos notam à se procul excuteret, paucos intra dies Apologiam edidit de libertate arbitrij inscriptam, in quâ gestis in Hierosolymitano consessu enarratis, sui defensionem profectus in unum Pelagium invehitur, ejusque Epistolam ad Demetriadem nuper in eò datam primus omnium ventilat, modestè semper de Joanne locutus, ut dixerit: *Concedendum est magis, ut interpretes errasse dicendo, quam Episcopus audiendo finxisse videatur.* Totam eam tropham in subdolum interpretis fidem devolvit.

Hic Hierosolymitanus consessus coram Joanne, ac euncta, quæ ex Orosio hucusque diximus, non modò in dubium vocantur, sed à nonnullis Auctore Apologiæ non Orosius, sed hæreticus quis Novatianus asseritur, quod Vviffellius Carmelita Tomo 2. Vindicarum lib. 3. sect. 3. tradit, nec dissentit Lezana Tomo 3. Anhal. Carmelitæ ad annum 415. Baronius nec verbum quidem habet de hoc Pelagii examine à Joanne peracto. Jansenius mentitorem quandam illam Apologiam Orosio suppositisse fidenter pronunciat, timetque vir eruditus Aloysius Torellus Tomo 1. Sæculorum Augusti ad annum 415. num. 7. integram fidem inter tantam contradictorum turbam præstare. Mirum quomodò in re certissimâ Scriptores celeberrimi falli, ac fallere potuerint. Etenim euncta, quæ Orosius in illâ Apologia narrat, repetit quoque Sanctus Augustinus in libro de Gestis Pelagii, quæ sanè nisi ab Orosio accepisse credendus est. Omittò hic omnia, quæ ibi narrantur, optimè rei veritati ita congruere, ut nisi ab eorum temporum Scriptore, & gesta Pelagianorum optimè callente dici potuerint. Ibi enim libri eò usque à Sancto Augustino editi recensentur, Timasii, ac Jacobi conversio, librique Pelagianæ evulgatio proditur; insuper narratur, Cœlestium ab Aurelio Carthagine damnatum aufugisse, Hieronymum id temporis libros Dialogorum elucubrasse, Pelagium nuper ad Demetriadem scripsisse,

scripsisse, recitatis ad verbum pluribus ejusdem Epistolæ versibus; sit mentio ibidem enceniorum, quæ quot annis Hierosolymæ celebrabantur, nihil in eadem apologiâ tractatæ de Synodo Diospolitana exequente postea anno coactâ, quæ cuncta, aliave, si attentius considerata fuissent, Orosii apologia haud in dubium venisset, etiam si de hoc Pelagii examine Sanctus Augustinus siluisset.

Janenius hallucinatus est, existimans hunc confesum, de quo Orosius scribit, esse Synodum Diospoli habitam, cujus gesta cum ex Sancto Augustino habeamus, atque Orosium ibi minimè adfuisse Sanctus Doctor testetur, fieri nequit, inquit Auctor ille, vera esse, quæ de se Orosius in memoratâ Apologiâ narrat. Verùm Orosius scribit, se in confesum coram Joanne fuisse Hierosolymæ, non Diospoli: *Latebam ergo, ait, in Bethlehem traditus à Patre Augustino, ut timorem Domini discerem sedens ad pedes Hieronymi, inde Jerusalem vobis accersentibus vocatus adveni, dein in conventu vestro una vobiscum Joanne Episcopo præcipiente confedi.* Hujus verò priini examinis, quod Pelagius hoc anno coram Joanne Hierosolymitano subijt, præter Orosium testis est Augustinus Libro de Gestis Pelagii cap. 14. 15. 16. 17. & 30. Quæ legens Janenius putavit, intelligendâ esse de Synodo coactâ Diospoli, quæ ab hinc quinque mensibus, nempe ad finem anni habita est. Audiatur Augustinus cap. 14. *Etiâ hoc usus est testimonio Sanctus Joannes Hierosolymitanus Antistes Ecclesiæ, sicut interrogatus, quæ apud illum ante judicium Diospolitano gesta fuerant, Coepiscopi nostris, qui simul in illo judicio præsidebant, ipse narravit. Item: At enim, tunc quibusdam susurrantibus, & dicentibus, quod sine Dei gratiâ diceret Pelagius, posse hominem perfici, id est, quod superius dixerat, esse posse hominem sine peccato, culpam, inquit, super hoc etiam intuli, quia & Apostolus multum laborans sed non secundum suam virtutem, sed secundum Dei gratiam dixit &c. & cap. 15. Hæc narravit Episcopus Joannes audiente Pelagio, qui postet honorifice dicere, fallitur sanctitas tua, non bene meministi &c.* Vides à Joanne gesta nonnulla fuisse antè judicium Palestinum? Quod autem hæc paulò antè Synodum peracta sint, audi eundem cap. 17. *Sed si forte, loquitur de Pelagio, illud jam dudum à Sancto Joanne narratum cogitare, vel meminisse non potuit, recentissimam suam responsionem reciperet, & quæ paulò antè de Cælestio sibi objecta anathematizaverit, adverteret.* Joannem verò amarulento fuisse in Orosium animo, patet ex iis, quæ de ipsomet absente idem retulit postea Diospoli in Synodo. Eundem etiam ab interprete deceptum tradit idem Augustinus cap. 16. hæc scribens: *Nam quidquid dixit Joannes Episcopus de absentibus Fratribus nostris, sive Coepiscopis Erote, & Lazaro, sive de Presbytero Orosio, sive de aliis, quorum ibi non sunt nomina expressa nempe Avito, Passerio, ac Domino ex duce, credo quòd intelligat ad eorum præjudicium non valere; Si enim præsentibus essent, possent eum fortasse, absit ut dicam, convincere de mendacio, sed fortè commemorare, quòd fortè fuisset oblitus, aut in quo eum sefellit latinus interpret.* Quibus apertè confirmantur, quæ de Joanne in apologiâ Orosius narrat. Cæterùm huic apologiæ nonnulla asuta leguntur desumpta ex libro Augustiniano de Naturâ, & Gratiâ, adeoque imperitè, ut hæc inibi scribantur: *In libris, quos ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curavi.* Cùm Marcellinus occisus fuerit, antequam Orosius in Africam appelleret, & Augustinus librum de Naturâ, & Gratiâ elucubraverit

profecto paulò ante in Palestinam Orosio, uti ex Epist. 102. ad Evodium patet. Quare si Orosiana apologiâ infarta eximantur, integrum suo auctori opus adscribetur. Legatur Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 6. ubi capita designat, quæ librorum vitio in memoratam apologiam irreperunt. Hic liber vulgò inscribitur apologia de libertate arbitrii, cum tamen ibidem Orosius se potiùs, ac divinam gratiam defendat contrâ Pelagium, qui pro libertate arbitrii supra gratiam erigendâ decertabat. Et quidè alium titulum ab Orosio in apologetico inscriptum facillè suspicor, sed de hoc alii judicent.

CAPUT VIII.

*Pelagius in Synodo Diospolitana subdole absolutio-
nem suffuratus in Hieronymum scrip-
tus, atque injurus debacchatur.*

Interea Eros, ac Lazarus Episcopi Gallicani fuis ab Ecclesiis pulsi, cum Apostolica Sedes utriusque depositionem ratam haberet, in Orientem transfretarant, ut illius regionis Antistitem suffragia corrogarent; ubi verò in Palestinam venientes Pelagii conatus intellexere, de Orthodoxâ pietate, ac religione solliciti libellum contrâ eundem hæreticum, ejusque socium Cælestium Eulogio Cæsareensi Palestinorum Prælati dederunt, à quo Synodus etiam indicta fuit Liddæ, quæ id temporis Diospolis dicebatur. Quatuordecim illuc Episcopi convenere, quorum nomina exhibet Augustinus lib. 1. contrâ Jul. cap. 5. nempe Eulogius Synodi Præses, Joannes Hierosolymitanus, Ammonianus, Porphyrius, Efitonius, Porphyrius, Ficus, Zosimus, Zoboenus, Nimphidius, Cromatius, Jovinus, Eleutherius, & Clematius. Accitus est ad Synodum Pelagius, Eros verò, ac Lazarus propter unius ægritudinem non interfuere, absuit etiam Orosius, qui iter in Africam parabat. Errores unus & triginta Pelagio à Patribus ex accusatorum libello objecti sunt, quos fusius recitat Augustinus in libro de gestis Pelagii. Cùm verò nullus ex adverso accusator instaret, facillè negocio Hæreticus Synodo imposuit, nam cum ejusdem liber latino sermone contextus per interpretem Græcis judicibus exponeretur, & ipse Pelagius Græcè interloqueretur, ejusdem hæses quibusdam ab ipso verborum circumlocutionibus vestita non adeò deformes Patribus visæ sunt, ut Pelagius publico anathemati subjiciendus judicaretur. Subdolas illius artes paucis perstringit Innocentius Papa in Epistolâ ad Africanos, quæ 96. est apud Augustinum. *Objecta, inquit, partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quàm verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsâ interpretatione vertendo.* Tantò enim, ut ait Augustinus, judices sefellit occultius, quantò exposuit illa versutius; Damnâvit enim Pelagius dicentes, Adam sibi soli, & non generi humano suo peccato nocuisse, at versipellis vulpecula cæteris Adam obfuisse non transfusione, sed exemplo delicti sentiebat. Item illos rejecit, qui dicerent, infantes in eo statu esse, in quo fuerat Adam antè peccatum, quòd ille præcepti capax fuerit, isti non sint, non verò, quòd dicerent, infantes esse innocentes, sicut fuit Adam ante peccatum. Hæc posuimus ex Augustino lib. 1. contrâ Jul. ca. 5. ut unam, vel alteram Pelagianæ versutis lineam monstraremus.

Ille quidem hac nobili fidei Catholica professione iudices sibi faventes reddidit: *Iterum dico, quia hec, & secundum ipsorum testimonium, non sunt mea, pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo. Quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo; Quæ autem dixi, non esse mea, secundum iudicium Sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinis; Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundum doctrinam Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, si quis verò alia ab hac sapit, anathema sit.* Quæ sanè recti dogmatis potestatione, ut Synodo videbatur, apertissimâ hanc absolutionem dolosè ab eadem impetravit: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus presentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat, & anathematizat, communionis Ecclesiasticæ eum esse, & Catholicæ consistemur.* Apud Aug. Lib. de Gestis Pel. cap. 19. & 20. Satis nervosè in hæc Pelagii præstigiis, quibus illustris Palæstinis Episcopis, invehitur Augustinus Lib. de Pecc. orig. cap. 16. *Quando tibi, inquit, illa damnanda obijciebantur, non ea Catholici Episcopi sic intelligebant, ideo cum illa damnares, Catholicum te esse credebant. Propter ergo, quod te illi sperere existimabant, absolvendum fuit, quod verò tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti, sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus purareris, creditus es sentire laudanda, cum te iudices non intelligerent, occultare damnanda. Et sanè aded ambiguis verbis, subdolis sententiis, & aptis in speciem verborum restrictionibus usus est Pelagius, ut Augustinus illius Synodi gesta recensens, dixerit: *Quod & nobis nempe decipi, forsitan contigisset, si cum eis in illo iudicio sedissemus.* Illud autem in hac Synodo, quod summæ Augustino gloriæ vertitur, notandum venit, unius Sancti Patris Epistolam ad Hilarium iterum Pelagio objectam fuisse, quod ipse Sanctus Doctor his verbis testatum reliquit Lib. de Pecc. orig. cap. 10. *Synodus dixit: Quoniam Sanctus Augustinus Episcopus adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subiecta capita scribens librum, in quo continentur: Posse hominem sine peccato esse, si velit &c.* Ita Augustinus, licet longè in Africâ tam procul à Palæstinâ constitutus, Pelagium scriptis persequeretur, Sanctorum Patrum Conciliis arma in hæreticos prodebat, & absens gravissimarum difficultatum Judex sententiam dabat, cum ad ejus doctrinæ amissim Pelagianorum sententia exigetur; Non Epistolam ad Ctesiphontem, non Hieronymianos Dialogos Patres hæretico objecerunt, sed unam Augustini Epistolam, ut evidens sit, in Pelagianâ causâ plus uni Augustino, quam cæteris Patribus tribuendum, de quâ re alibi ex professo sermo redibit. At Pelagius, quod objectæ Augustini ad Hilarium Epistolæ vim declinaret, literas ab Augustino ad se datas, quarum exemplum supra datum est, protulit, ut ex earundem commercio, & se pluris Augustinum facere, seque vicissim plurimi fieri ab Augustino persuaderet, acervum etiam aliarum Epistolarum, quas à pluribus Episcopis acceperat, in fidei suæ testimonium legendas exhibuit. *Quid enim ei profuit, inquit Augustinus, tantæ ejus laudes in Epistolis Episcoporum, quas pro se commemorandas, vel etiam legendas, vel etiam allegandas putavit?* Lib. de Gestis Pel. cap. 25. Cæterum tantum abest, ut in hac Synodo absolutus fuerit Pelagius, ut potius suo semet ore damnarit, quod frequenter Pelagianis exprobat Augustinus, imò inter reliquos Patres, quorum testi-*

monis Pelagianorum dogma confutat, quatuordecim illos Diospoli congregatos recitet, eoque nominat lib. 1. contra Jul. cap. 5. & 7. *Ac per hoc, inquit cap. 5. Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos, qui sciunt ista, damnarit, eum eis, quos damnarit, profectò damnandus, quia id, quod negavit ore, corde servavit.*

Hieronymus in Epistolâ 24. inter Augustinianas scribit, Annianum quendam Diaconum in hoc Concilio Pelagii partes acerrimè propugnasse, quinam verò ille fuerit, inter Scriptores non convenit, nos plura de illo dicemus cap. 17. Hunc quidem exitum habuit Synodus Diospolitana, in quâ Pelagius Patribus fucum fecit; undè Hieronymus in laudatâ Epistolâ miserabilem Synodum eandem appellavit. At Augustinus passim Episcopos illos excusat; audiarur cap. 21. de Gestis Pelagii: *Neque hoc dicens iudicium arguo vel negligentiam, vel conniventiam, vel, quod ab eis longè abhorreret certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam, sed eorum iudicio pro merito approbato, atque laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus amplius, certiusque notus est, non mihi videtur esse purgatus.* Plura etiam de his habet lib. 1. contra Jul. cap. 5. Sanctus Prosper initio Poematis contra Ingratos hæc de laudatâ Synodo canit:

— non sequior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: caprumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benignâ
Commentum damnare suum, nisi Corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lenè quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Iudicium: Sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, divino & manere cautum,
Ut licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidia secum sensus tenuisset eosdem,
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.
Meminit hujus Synodi Photius Cod. LIV. Erravit
verò Sethus Calvisius, scribens in suâ chronologiâ
ad annum 415. Pelagium in hac Synodo hæresicos
convictum, ac penitentiæ ductum eandem ejurasse,
atque ad Catholicorum partes accessisset; etenim Hæresiarcha id, quod negavit ore, corde servavit; nam quod
verbis ejus anathematizatur, in literis ejus inventur.
Verba sunt Augustini in laudato libro contra Julian.
Hanc Synodum exeunte hoc anno celebratam fuisse
ex Luciani Presbyteri Epistolâ de Inventione Cor-
poris Sancti Stephani apertè constat. Scribit enim feri-
â sextâ, Tertio Nonas Decembris consulatu Hono-
rii X. Theodosii VI. Augg. sibi per somnium Proto-
martyris reliquias revelatas, iterumque feriâ sextâ
sequenti id sibi contigisse. *Quod cum in tertiâ septi-
manâ eadem die, & horâ accidisset, Hierosolymam se
contulit rem Joanni Episcopo manifestaturus, à quo
sepulchri locum quærere jussus fuit, quod cum inve-
nisset, statim, inquit, renunciavi Episcopo, cum esset
in Liddâ, quæ est Diospolis, Synodum agens, qui as-
sumpsit secum duos alios Episcopos. Eleutherium de Se-
baste, & Eleutherium de Jericho, à quibus VII. Kal.
Januarias Sacræ Stephani exuviæ summâ cum pompâ
aliò translatae sunt. Ex his colligitur, Synodum
memoratam celebratam fuisse intrâ decimam octavam
diem, & vigesimam quintam Decembris. Quod ve-
rò duo Eleutherii à Luciano memorantur, & unus
tantum Eleutherius nominetur inter Synodi Patres
ab Augustino, & alter ab eodem Eutonium dicatur,
alterutri codici errorem irrepsisse certum est.*
Orosius

Orosius id temporis reditum in Africam ad Augustinum adornabat, quâ occasione Avitus, qui Hierosolymæ contra Pelagium Orosio favorem præstiterat, per hunc ipsum ejusdem Sancti Martyris reliquiarum fragmenta ad Episcopum Bracarensem misit, ut ex ejusdem Aviti Epistolâ patet, quam Baronius suis Annalibus inseruit. Mirum autem dictu, quanto mærore percussi sint Eros, & Lazarus, qui inanem operam se posuisse cognoscerent, Pelagio per dolum absoluto. Sed animum minimè despondentes literas per eundem Orosium ad Africanos Episcopos misere, quos Palæstinæ Synodi gesta perdocebant.

Anno
416.

Interea Anno 416. Pelagius datis ad amicos literis approbatam suam ipsius sententiam ab Episcopis Diopsoli gloriabatur: *Quatuordecim, inquit, Episcoporum sententiâ definitio nostra comprobata est, quâ diximus, posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facile custodire, si velit. Quæ sententiâ contradictionis os confusione perfudit, & omnium in malum conspirantem societatem ab invicem separavit.* Apud August. cap. 30. de Gestis Pel. Illud autem in primis curavit, ne gesta ejusdem Synodi tam properè publicarentur, neve Romam ad Innocentium transmitterentur. Quare Augustinus novas hæc Hæresarchæ versutias increpans: *Et tamen, inquit, Epistola carnalis ventositatis, & elationis volat, & gestorum tarditate procuratâ celeritate procedens in manus hominum prævolat.* Lib. de Gest. Pel. cap. 30. Cum verò ab uno sibi Augustino timeret, cujus vim in quatuor contra se editis libris nimium expertus erat, brevissimum quidem suæ defensionis Synodo approbatæ exemplum per civem Hipponensem ad eundem Antillitem transmisit.

At Hæresarcha illâ victoriâ tumidus universum in Hieronymum amarulenti animi virus evomit stylo, gladioque eundem persecutus. Quidam perditorum cuneus Hæretico impensius favens religiosos viros, ac scæminas, quarum curam Hieronymus gerebat, aggressus Diaconum interemit, facibusque admotis Monasteria incendit. Hieronymus, ut ait Augustinus in fine libri de Gestis Pelagii, vix in turrim munitiorem arrepta fugâ vitæ consuluit. Ob hæc acriter negligentia, vel conniventia Joannes Hierosolymitanus ab Innocentio Pontifice reprehensus est; quæ cum laudatus Augustinus retulisset, *expectandum, inquit, quid illic fratres nostri Episcopi de his tantis malis agendum existiment, quibus eos dissimulari posse quis credat?* Sed & scriptis in Hieronymum idem infremuit; nam libros dialogorum à Sancto Doctore scriptos editis quatuor de libero arbitrio libellis confutare conatus fuit. Hos verò libros contra Hieronymi volumina à Pelagio editos fuisse ex Juliani verbis colligo, qui lib. 4. Oper. Imp. cap. 87. apud Augustinum hæc habet: *Verum illi operi à Catholico viro, Pelagio, qui pulsatus fuerat, obvium est.* At nullum aliud opus à Pelagio postea scriptum fuisse, testis est Sanctus Augustinus in Libro de Gratiâ Christi à cap. 35. & seq. De his quoque libris scribit Innocentio idem Pelagius: *Legant etiam recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus, & agnoscent, quam inique nos negatione gratiæ infamare gestiverim.* Apud Augustinum ibid. cap. 41. Hos verò libros editos post Synodum Diopsolitanam, nempe hoc anno 416. testatur Sanctus Augustinus hæc scribens lib. de Pecc. orig. cap. 14. *In eisdem quippè libris & contra peccati ex Adam in parvulos transtulit loquitur, & de gestis Palæstinæ Synodi gloriatur, ubi eos, qui sic tenent, veraciter damnasse putatus est, & absolutionem suam fallendo furatus est.*

Sed novus ex Asiâ Pelagianus nos in Ciliciam vocat; interim Orosio Sancti Stephani reliquias ex Asiâ in Africam deferente, de quo paulò post iterum sermo redibit.

CAPUT IX.

Theodorus Episcopus Mopsuestiæ pro Pelagio contra Hieronymi Dialogos scribit. Eiusdem librorum fragmenta contra Augustinum pro originali peccato eliminando ex Codice MS. Vaticano referuntur.

Novum Pelagianum exhibeo, & cum quidem, cui ob sacræ, ac profanæ eruditionis copiam cæteri Pelagiani superbiorum ingeniorum fascis submittant, immò nec eadem cum illo die nominentur. Florebat tunc in Oriente Theodorus Episcopus, quem universi illius ætatis Patres ob eximiam doctrinæ famam veluti oraculum suspiciebant, qui cum vivens acerrimè Pelagianos defenderit, ac mortuus graves postea turbas Ecclesiæ dederit, ut altero volumine dicturi sumus, paucis hic nobis describendus venit, cum præsertim Baronius, Jansenius, Vossius, Usserius, & alii, qui Pelagianarum rerum Historiam diligentissimè concinnarunt, insignem hunc Pelagianum non cognoverint, quodve magis mirum videtur, nec ipse Photius rei totius scriptor id observaverit. Patria illi fuit Antiochia; etenim in Synodo Mopsuestenâ anno 550. jussu Justiniani Imperatoris celebratâ, ut refertur Collat. 5. Synodi V. cum seniores quique interrogarentur, num Theodori Episcopi nomen sacris diptychis insertum quandoque legissent, respondit Anatholius principalis: *Theodorum veterem Antiochenum nostræ civitatis Episcopum nescio in sacris diptychis recitari.* Unâ cum Joanne Chrysofomo Libanii celeberrimi apud Antiochenos sophiæ, atque Andragathii Philosophi auditor fuit. Dein sorense causas aggressus verba clientibus vendidit, ac tribunalibus intervivit. Cum verò Chrysofomus foro relicto Monachum induisset, hoc ipsum Theodoro supra cæteros amicissimo persuasit. *Erat Theodorus, inquit Sozomenus lib. 8. cap. 2. & sacrarum librorum, & aliarum disciplinarum, Rhetorum, ac Philosophorum sufficienter gnarus, & initio quidem, ubi incidisset in divinas leges, & cum sacris viris conversaretur, illud vitæ genus approbavit, & urbicam conversationem damnavit.* Verum paulò post monasticæ disciplinæ pertæsus urbem, ac forum repetiit, & solitariæ vitæ osor nuptias apparavit. At Johannes Chrysofomus his probè cognitiss Epistolam ad Theodorum misit, *& phrasi, & sensibus diviniorem, quam mens humana capere queat, quâ ille lectâ respicit, ac rursus relictis facultatibus, & abdicatis nuptiis, consiliis Joannis acquiescendo servatus est, & ad philosophicam vitam reversus:* Verba sunt laudati Sozomeni. His similia recitat etiam Socrates lib. 6. c. 3. Qui narrant, Theodorum ad meliorem frugem reversum Carterio, ac Diodoro Magistris sacrarum literarum scientiam brevi ita affectum, ut universos in sui admirationem traxerit.

Diodorus interim ad Tarsensem Ecclesiam in Ciliciâ evectus fuit, qui anno 381. Synodum Constantinopolitanam subscripsit, itemque Antiochenam sub Meletio, ut patet ex literis Damasi ab Holstenio collectis, & ab Eminentissimo Francisco Barberino sacræ eruditionis studiosissimo Principe publicatis. Mortuo Olympio Episcopo Mopsuestiæ, qui unâ cum Diodoro Concilio laudato apud regiam Urbem

C 2 interfuit,

interfuit, Theodorus Antiochenus illius urbis sacris præpositus fuit, seditque quartus à Protogene ejusdem Sedis Episcopo. Mopsuestia celebris urbs erat in secundâ Ciliciâ, *vatis domicilium Mopsi* ex Ammiano Marcellino lib. 19. ubi inter tres illius provincie urbes insigniores eandem nominat. Plinius lib. 5. cap. 27. describens Ciliciæ oppida ait: *Mopsos liberum Pyramo impositum*. Procopius etiam lib. 5. de ædificiis Justiniani Mopsuestiam Pyramo allui scribit. Straboni lib. 15. dicitur *Mopsiæ*, quasi *lares Mopsi diceres*, inseruit latino textui interpres Casaubonus, *lares* enim lares significat. Sanctus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani cum Plinio Mopsium appellavit, loquens enim de morte Constantii Imperatoris Ariani ait: *In Mopsi viculo moriens magno dolore hosti reliquit imperium*. Erat hic viculus in agro Mopsuesteno aquis undique scaturientibus irriguus ad radices Tauri Montis, undè Mopsicrinus, vel Mopsicrenæ nomen loco impositum, ut videre est in Chronicis Hieronymi, & Idatii ad consulatum Tauri, & Florentii. Socrates in fine lib. 2. & Sozomenus libro 5. cap. 1. scribunt Constantium obiisse ad fontes Mopsi, nam Græci fontes *κρήναι* appellant. Chronicon Alexandrinum ait: *Constantinus initio IV. Indictionis denunciatis sibi Juliani Caesaris insidiis concitus à Tarso Ciliciæ ad Mopsi fontes veniens &c. moritur*. Eusebius Anno DCCCXXXV. edit. Scaligeri in Chronico ait: *Mopsus regnavit in Ciliciâ, à quo Mopsicrene, & Mopsisita*, ut planè distincta veluti loca recenscat, quæ miramur Henricum Valesium in notis ad lib. 21. Ammiani non observasse. Pelagius II. Papa Mopsuestiam *ignobilem locum* nuncupavit in Epistola 3. ad Episcopos Histrie, verba damus in Dissert. Hist. de Synodo V. cap. 11. quæ quidem intelligenda sunt factâ comparatione cum nobilissimis urbibus; nam Ammianus post Tarsum, & Anazarbum utriusque Ciliciæ Metropoles eandem nominat, neque alias Ciliciæ urbes inferiores commemorat. Antoninus Pius Imperator ejusdem urbis privilegia novâ adprobatione rata habuit, quæ & Hadrianæ cognomen sortita est, ut ex hac inscriptione apparet.

IMP. CÆSARI. DIVI. HADRIANI. FILIO.
DIVI. TRAJANI. PARTHICI. NEPOTI. DIVI.
NERVÆ. PRONEPOTI. T. AELIO. HADRIANO.
ANTONINO. AUG. PIO. PONTIFICI. MAXIMO.
TRIB. POT. III. COS. III. P. P. BENEFICO. AC
SERVATORI. HADRIANÆ. MOPSUESTIÆ. CILICIE
SACRÆ. LIBERÆ. INVIOLATÆ. SUI.
LEGIBUS. VIVENTIS. P. R. AMICITIA.
ET SOCIETATE. CONJUNCTÆ.
QUOD. DIVINA. IPSE. IN. JURĒ. DICENDO.
CLEMENTIA. SIT. USUS.
NEC NON. VETERA. EIDEM. CIVITATI. JURA.
FIRMA. RATA. QUÆ. ESSE. VOLUERIT.
S. P. Q. R. D. D.

Recitat hanc inscriptionem Magnus Romanæ antiquitatis instaurator Onuphrius noster Veronensis in Comment. Fastor. ad annum Urbis DCCCXCIII. Initio Synodi Mopsuestenæ anno 550. jussu Justiniani celebratæ dicitur: *In Mopsuestiâ coloniâ Christianissimâ*. Ex his ergo nobilitas illius Urbis intelligitur. Tempore etiam Plinii erat libera Civitas, ut proximè notavimus. Cleri verò, ac civium nobilitas colligitur ex laudatâ Synodo, quæ collationi 5. Synodi V. inferitur, ibi enim nominantur Cives Comitæ, Palatini &c. Ex quibus iterum Mopsuestiam à Mopsucrene distinctam esse apparet, illa enim nobilis fuit Romanorum colonia, hæc verò viculus in agro Mopsuesteno. Hujus igitur Urbis, quæ post

duas utriusque Ciliciæ Metropoles cæteras Provincie civitates, & antiquitate, & nobilitate superabat, Ecclesia Theodoro Antiocheno tradita fuit. Contigit ejusdem Episcopatus propè annum 391. Nam Theodoretus Mopsuesteni eximius Encomiastes scribit, mortuos eodem ferè tempore Theodotum Patriarcham Antiochenum, & Theodorum Mopsuestenum, seque cum utriusque vitæ termino historiæ quoque suæ finem imponere, ibi verò tradit Theodorum triginta sex annos Ecclesiam illam rexisse, quare cum Theodotus obierit anno 427. ut lib. 2. cap. 3. ostendemus, si per triginta sex annos retrocedamus, statuentur initia Theodori Episcopi circâ annum 391. In Synodo C. P. sub Nectario Arcadio III. & Honorio II. Consi. anno 394. in causâ Bostrenæ Ecclesiæ in Arabiâ sedit cum aliis Episcopis Theodorus Mopsuestenus, ut ex actis synodalibus apud Balsamonem pag. 761. Edit. Parisiensis colligitur.

Theodorus innumera penè volumina exaravit, omnesque hæreses acerrimè vellicavit, *adversus Ariannum, & Eunomianum dogma quasi in acie dimicans, nec non latrocinium Apollinaris comescens*, describitur à Theodoro in calce Ecclesiasticæ Historiæ, Origenis etiam paradoxa eundem confutasse, in fine sui breviarii Liberatus testatum reliquit. Cæterum dum plus justo ingenio indulget, & antiquiores semitas fastidians novam viam sternere tentat, in absurdissimos errores lapsus hæresium magister evasit; etenim & Pelagianis, & Nestorianis nova dogmata proculdit; de Nestorianis inferius id nobis ostendetur, de Pelagianis hoc modò probandum est. Primum, ac veluti capitale Pelagianorum dogma fuit, Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, erat moriturus, hoc enim hæreticorum assertum à Sancto Augustino inter paradoxa Pelagiana priori loco refertur Epist. 106. & in Synodo Africanâ primo itidem loco damnatur, ut cap. 13. constat; Porro hunc errorem primus per ea tempora docuit Theodorus, dein Rufinus, ac postremò Pelagius, sociique; horum testis venit Marius Mercator, qui Pelagio ipsi, ac Juliano convixit; extat ejusdem libellus contra Julianum M. S. in Bibliothecâ Vaticanâ inter volumina Palatina num. 234. quem Commonitorium idem nominat, ac Pintæ Presbytero nuncupat ubi pag. 3. hæc scribit: *Questio contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipuè in Ciliciâ à Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsuesteni jam dudum mota nunc usque penes paucos eorum admodum proditur, nec ea palam profertur, sed ab ipsis, qui de ea fornicantur, velut Catholicis intra Ecclesias interim retinetur; Progenitores videlicet humani generis Adam, & Evam mortales à Deo creatos, nec quenquam posterorum suâ prævaricatione transgressos lesisse, sed sibi tantum nocuisse, se mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum. Hinc ineptam, & non minus inimicam recte fidei questionem sub sanctæ recordationis Anastasio Romano Ecclesiæ Summo Pontifice Rufinus quondam natione Syrus Romæ primus invexit, & ut erat argutus se quidem ab ejus invidia muniens per se proferre non ausus Pelagium gente Britannum Monachum decepit, eumque ad prædictam apprimè imbuit, atque instituit impicam vanitatem &c.* Ex quibus patet, Theodorum Pelagianorum magistrum fuisse, unde factum est, ut Pelagius contra Hieronymum, & Julianus contra Augustinum ab eodem suppetias tulerint, unumque habuerint in Occidente damnati Patronum in Oriente, ut ex iis, quæ nobis postea describentur, apparebit. Hic Mercator, cujus testimonium laudavimus, ab Augustino

Augustino nominatur in libro de octo quæstionibus ad Dulcitium in solutione quæstionis tertiæ, ubi ait: *De illis autem, qui rapiuntur in nubibus in quadam Epistola, quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem, quæ incipit, Proculdubio notissimum vobis, cum me consulisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant, mortem esse peccato retributam &c.* Possidius in Indice scriptorum Augustinensium contra Pelagianos ejusdem Epistolæ mentionem facit, sed Mercatorem Episcopum nominat: *Ad Mercatorem Episcopum contra eosdem una.* At anno 419. cum Sanctus Augustinus scripsit librum illum ad Dulcitium, Mercator nondum erat Episcopus, neque enim filium, sed fratrem eundem nuncupasset; Constat autem ex laudato Augustini testimonio, hunc Mercatorem esse eundem, cujus commonitorium contra Julianum adduxi, nam ibidem memoratam tantum quæstionem contra hæreticum agit, nempe sitne Adam mortalis factus, de quâ Sanctum Doctorem consuluit. Hæc libuit adnotare, quia hujus Mercatoris testimonio non semel utemur, nostraque commentaria secretiore, atque hucusque ignota indè nonnulla deprent. Harum quidè rerum notitiam deo eximiam, ac singulari eruditioni Eminentissimi Cardinalis Bona, qui cum Romæ essem, libellos Marri Mercatoris mihi prorsus incognitos patefecit, legendosque jussit, quos etiam exscriptos, ac in Galliam abs se missos, affirmavit, quæ hic inferere libuit, quòd ingenui sit, fateri, per quos profecerim.

Pelagiani cum se à Hieronymo, & Augustino adversariis scriptis vellicari cognovissent, Theodori Mopsuesteni patrocinium implorarunt, ad quem etiam Hieronymi dialogos recens quidè publicatos detulere; Ille scientiâ tumidus, quòd solus sapere videretur, aliorum ingenia despiciens, sua tantum probabat, quare contra tres Hieronymi libros satis justum volumen in quinque libros digestum procedit sub hoc titulo: *Contra asserentes, peccare homines naturâ, non voluntate.* Hi Theodori libri Photii ætate supererant, cujus verba ex ejusdem bibliothecâ codice 177. huc referre non pigeat, quòd rem nemini hucusque observatam, nec ipsimet Photio scribenti notam aperiant, nullus enim hucusque scivit, Dialogos Hieronymi impugnatos fuisse à Theodoro Mopsuesteno: Verba Photii sunt: [Lectum est opus Theodori Antiocheni, qui Mopsuestenus ille Episcopus est, ut ex ejus quibusdam Epistolis colligimus] hoc titulo: *Contra asserentes peccare homines naturâ, non voluntate*; Ea disputatio quinque libris absolvitur, quos adversus Occidentales hac labe infectos, scripsit; Indè enim oriundum hæresis hujus auctoritatem in Orientis modò regionibus versari, librosque de recens à se excogitatâ hæresi compositos ad pulpares suos in patriam transmittere narrat, ut jam ibi multos per hanc artem in suam pertraxerit sententiam, integrasque adeò Ecclesias absurdis illis imbuerit opinionibus; Aram verò illorum librorum Authorem, sive nomine, sive cognomine incertum appellat. Hunc etiam quintum Evangelium confinxisse, illudque se in Eusebii Palestini bibliothecis reperisse ait; rejectâ præterea divini, ac veteris testamenti versione, quam Septuaginta Interpretes simul convenientes ediderunt, ut & Symmachi, & Aquilæ, aliorumque interpretatione propriam quamdam suam, novamque conficere ausum, cum neque Hebraicæ linguæ, ut illi, à puero assuevisset, neque mentem Sacræ Scripturæ didicisset, He-

bræis tantummodo quibusdam abjectæ fortis in disciplina se tradidisse, atque hinc propriam sibi editionem scribere aggressum] Hæc ille. Certè hic Hieronymum describi nemo non videat. Erat ille Dalmata, & ex Occidente in Oriente sedem locarat, ac latino sermone apud Græcos libros Dialogorum exaraverat. Cum verò reperti in Cæsareensi apud Palæstinam Eusebii Bibliothecâ quinti Evangelii illum arguit, libros Dialogorum notat, in quibus Hieronymus illius Evangelii quinti mentionem habet, quod itidè à Juliano Pelagiano Episcopo eidem crimini datum est in Opere imperfecto Augustini lib. 4. cap. 87. *Quâ fiduciâ, inquit, tu cum Hieronymi scripta collaudes, dicas in Christo non fuisse peccatum, cum ille in Dialogo illo, quem sub nomine Attici, & Critobuli mirâ, & ut talem fidem decebat, venustate composuit, etiam quinti Evangelii, quod à se translatum dicit, testimonio nititur ostendere, Christum non solum naturale, verum etiam voluntarium habuisse peccatum, propter quod se cognoverit Joannis baptismate diluendum?* Sed mera hæc fuit Pelagianorum calumnia, ut patet ex Hieronymi libro Dialogorum tertio initio ferè hæc scribentis. *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidè, Syroque sermone, sed Hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazarenæ, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæsareensi habetur Bibliothecâ, narrat historia; Ecce Mater Domini, & fratres ejus dicebant ei, Joannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum, eamus, & baptizemur ab eo; Dixit autem eis; Quid peccavi, ut vadam, & baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum quod dixi, ignorantia est.* Hujus Evangelii Nazarenorum meminit alibi Sanctus Doctor, præcipuè lib. 4. Comment. in Matth. in cap. 23. *In Evangelio, inquit, quo utuntur Nazarenæ pro filio Barachia filium Josadæ reperimus scriptum, quam Hieronymi sententiam habes in Breviario Romano in tertiâ lectione ultimi nocturni in festo Sancti Stephani Protomartyris.* Cæterum mentitur Julianus, dum quantum illud Evangelium à Hieronymo translatum dicit, neque Theodorus id vitio vertere debuit Hieronymo, qui quantum illud Evangelium non approbavit, sed illius se usum testimonio dicit, quòd Pelagianorum dogma de impeccantiâ etiam à Nazaranâ Ecclesiâ damnatum fuisse ostenderet, addit enim: *Quibus testimoniis, si non uteris ad auctoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid omnes Ecclesiastici viri senserint.* Denique cum novam Scripturæ sacræ translationem carpit, iterum Hieronymum designat, ille enim post Septuaginta Interpretes, post Symmachum, & Aquilam Damaso Pontifice jubente vetus testamentum Græcæ fidei reddidit probatâ modo Ecclesiæ interpretatione. Horum tamen calumnias repellit Sanctus Doctor non uno loco, præsertim in Apologiâ secundâ contra Rufinum; Illa notanda sunt: *Quod si apud Græcos post septuaginta editionem, jam Christi Evangelio corrumpente, Judeus Aquila, & Symmachus & Theodotus Judæizantes hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione calarunt, & tamen in hexaplis habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris, quanto magis ego Christianus de parentibus Christianis natus, & vexillum crucis in meâ fronte portans, cujus studium fuit omnia repetere, depravata corrigere, & sacramenta Ecclesiæ puro, & fidelis aperire sermone, vel à fastidiosis, vel à malignis lectoribus non deo reprobari?* Et his patet, Theodorum contra Dialogorum libros scripsisse, & in uno Hieronymo omnium Catholicorum sententiam impugnasse, quod mox etiam fiet

manifestum; Aram verò illum ignominia causa agnominavit, quod *apost.* Græcè maledictionem sonat, quo nomine hostem compellendo, Pelagio, sociisque Hieronymi hostibus serviliter assentatus est.

Porro quò evidens fiat, Theodorum Mopsuestenum purum, putum Pelagianum fuisse, referam, quæ ex ejusdem libris recitat Photius [Secta verò illius, *inquit*, summa capita hæc ferè sunt: Homines naturà, non voluntate peccare; Naturà, inquam, non eà, quâ præditus ab initio, conditusque est Adam (illam enim bonam, & boni Dei opus asserrunt) sed eà, quam post peccatum adeptus sit, quando per prævaricationem, atque peccatum malam pro bonâ, mortalemque pro immortali commutavit. Hac quippè ratione naturâ quoque improbos effectos, qui antea naturâ boni fuissent, in naturâ jam, & non in voluntate peccatum sibi acquisivisse. Alterum deinde caput ex illo deductum; Infantes tamen recensatos peccati immunes non esse, cum ob Adæ prævaricationem natura in peccatis constituta ad omnes ejus posteros peccatrix, ut ipsi loquuntur, naturâ propagetur. Adferre autem ipsos, & illud ait, *Ecce in iniquitatus conceptus sum*, & si quæ sunt generis ejusdem. Sanctum ad hæc baptisma, sacrique corporis communionem in peccatorum remissionem; quin etiam ipsi infantibus allata hæc præbere ad propriam opinionis confirmationem.] Vides, Theodorum palam negare pueros infectos peccato nasci, pro quo tollendo illis sacrum baptisma impertiatur; Impugnare celebrem illam humanæ naturæ considerationem integræ ante peccatum, & immortalis, lapsa verò, & mortalis post culpam. Addit, Hieronymum cum asseclis docere: *Ne Christum quidem Deum, adsumptâ nimirum peccatis infectâ naturâ, sceleris purum esse*, subjungens, *Non verè bos & naturâ, sed figurâ duntaxat humanam ipsi naturam attribueret.* Mera hæc erat Pelagianorum calumnia, quâ Catholicos onerabant, quam procul ab Ecclesiæ sensu arceat Sanctus Augustinus passim in libris operis imperfecti contra Julianum; Quod autem Catholici ex Apostolo dicebant, Verbum venisse ad nos non in carne peccati, sed in similitudinem carnis peccati, neque enim naturam originali labe infectam assumpsit, inde illa de nostris portenta fugebant. Alium etiam nostris errorem imponit; *Matrimonium, vel certè congregandi cupiditatem, & seminis missionem, omniaque similia, quibus successione genus hominum propagatur, perverse naturæ opera esse asserunt, in quam quidem per peccatum lapsus Adam, naturæ mox vitio malorum omnium examen in se suscepit.* Hæc sectariorum dogmata sunt. Hæc quoque famosa est calumnia Augustino, & Orthodoxis omnibus à Pelagianis importata, cujus repellendæ gratiâ Sanctus Doctor unum, & postea alterum librum de Nuptiis, & Concupiscentiâ inscriptos emittere coactus est, probans, matrimonium, ac nuptias, semen, ceteraque instrumenta generationi interservientia bona esse, sed malam esse concupiscentiam, sine quâ humana generatio non fit; Unde lib. 2. cap. 5. de Nuptiis, & Concupiscentiâ Sanctus Pater interroganti Juliano [utrum diversitatem sexuum dicamus ad Diabolum pertinere, an commixtionem, an ipsam fecunditatem] hæc reponit. *Respondemus itaque nihil horum, quia & diversitas sexuum pertinet ad vas agnitionem, & utriusque commixtio ad seminationem pertinet filiorum, & ipsa fecunditas ad benedictionem pertinet nuptiarum.* Hæc autem omnia ex Deo; sed iste in his omnibus noluit nominare con-

cupiscentiam carnis, quæ non est à Patre &c. Hæc autem Theodorum Pelagianum publicant; ubi etiam ex Photio docet: *Jam inde ab initio quidem formatum esse mortalem Adam, sed Deum, ut scilicet peccatum odissemus, ita tantum simulasse, quasi pro peccato pænæ loco mors imposta fuerit.* Et hoc sanè capitale Pelagii dogma extitit: *Adam mortalem factum, qui sine peccaret, sine non peccaret, mortuus fuisset.* Quod in Palestinâ Synodo ne damnaretur, ipse damnavit, uti sexcentis Pelagianis Augustinus exprobat. Photius, qui cætera non animadvertit, & eam, quam Theodorus describit, in Occidente hæresim fuisse arbitratus est, illam tamen Theodori assertionem de naturali Adami conditione mortali rejicit, ac detestatur. Pater Lupus in veterum lectione summâ cum laude versatus, in dissertatione de Synodo Ephesinâ cap. 1. codicem Theodori à Photio productum, putat à quodam incerti nominis Pelagiano elucubratum & ex illo, ait, *Theodorus, adeoque & Nestorius didicerunt Pelagianizare.* Labitur vir eruditus, nam liber ille, cujus excerpta refert Photius, ab ipso met Theodoro scriptus fuit, neque ex illo Theodorus didicit Pelagianizare, sed in eodem idemmet pessimè Pelagianizavit, quod ex Photio, & ex proximè dicendis certissimum est. Eidem tamen Lupo laudi detur, quòd primus Theodorum Pelagianum publicavit.

Hæc quidem scripseram, cum in quædam memoratorum Theodori voluminum fragmenta incidi, ad verbum mihi hic proferri inferenda. Cùm Romæ Reverendissimus Pater Laurentius Brancatus eximius nostræ ætatis Theologus, Scoticæ Academiæ ob præclara, ac cedro digna volumina edita præsidium ac decus, idemque Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus præ singulari, quâ literarum studiosos fovet humanitate, insigniores quosdam laudatæ Bibliothecæ codices evolvendi potestatem mihi fecisset, hos inter legi volumen Palatinum MS. Numero 234. cui Commonitoria Marii Mercatoris ab Eminentissimo Bona mihi indicata, inserta sunt, quod cùm curiosius perscrutarer, Theodori quædam fragmenta fol. 89. inveni, ejusdem dubio procul Mercatoris industriâ excerpta, ac Latine donata, quæ cùm Theodori adversus peccati originalis assertionem argumenta contineant, libuit hic eadem subnectere, & quidem mendis plurimis expurgata.

Constat, inquit Mercator, hunc Theodoretum per hæc, quæ scripta sunt, cum Nestorio, ac Theodoro sure damnari, cujus autem perfidia sit etiam præfatus Theodorus, ex scriptis ejus, quæ de Græcis transfulimus, adprobemus. THEODORI MOPSUESTENI EPISCOPI de secundo codice lib. 4. folio decimo contra Sanctum Augustinum defendentem originale peccatum, & Adam per transgressionem mortalem factum Catholicè disserentem.

Tantis extantibus, quæ demonstrant, Adam sic ex terrâ formatum, ut mortalis prorsus existeret, erga cibum proprium voluit occupare sermonem, nec exinde volens advertere veritatem, pro dogmate vero seductorio ex mendacis adinationem jungens, non ait, mortales eritis, sed morte moriemini, prorsus existentibus naturâ mortalibus inferre mortis experientiam comminatus, quam etiam juxta morem propriæ benignitatis ad effectum perducere distulit. Sicutque cum dicit: *Qui effuderit hominis sanguinem, sanguis ejus pro eo fundetur,* non hoc dicit, quia qui occiderit hominem, erit mortalis, sed quia dignus est, hujusmodi morte damnari; sicut in præsentiarum dixit, *morte morietur*.

Gen. 3. *riemini, non quod tunc mortales fierent, sed quod digni essent, qui mortis sententiam per transgressionem referrent. Sed & divinam sententiam, quam post peccatum Deus Adæ inferre videtur, adverte, sic enim dicit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi, de hoc solo non comedere, ex eo comedisti, maledicta terra in operibus tuis, in tristitia comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos proferet tibi, & comedes fenum agri, & in sudore vultus tui comedes panem tuum, donec revertaris in terram. Homo autem per hæc omnia natus est, quod verum mox ambitum habiturus esset, cum labore deinceps fructus de terrâ sumpturus, quibus aleretur, atque subsisteret, nequaquam habens ut pridem tantam propositam largitatem, quantâ ex paradisi copiâ fruebatur. Non enim operari terram pro supplicio dedit Deus, quasi ex immortalis naturâ immortalitatem homines transferens, quandoquidem & paradysum ei ut operaretur, & custodiret indixit, pro tantâ verò pristinâ largitate, & voluptate paradisi ærumnosam ejus fore sustentationem de terræ fructibus comminatur. Nam prorsus ita mortalis factus, & tunc paradisi fructibus indigebat, sicut nunc terræ fructus inquit, & pro supplicio pristinis fraudatus deliciis hac ærumnosissimâ, laboriosissimaque conversatione multatur. Unde ad postremum consequenter adjecit: Quia terras, & revertaris in terram. Hæc etiam mortalitatem naturæ significant. Non enim immortalis, & tunc primum incipienti sententiam mortis excipere, sicut sapientissimi defensores peccati originalis, imò potius patres peccati mirabiles adseverant, vocabulum huic terræ imposuit, sed ut ab exordio naturaliter effecto mortali appellationem hanc congruere judicavit divina scriptura, hoc de hominibus vocabulum ad ostensionem corruptibilis eorum naturæ sæpius assumens: Nam recordatus est, inquit, quia pulvis sumus. Homo sicut fenum dies ejus, & sicut flos agri ita florebit, quia spiritus pertransibit in eo, & non erit amplius locus ejus. Vult autem dicere, quod corruptibiles, & resolubiles omnes sumus in modum scæni parum per florentis, pereuntisque post paulum. Nam ad breve quidem tempus, ut jam diximus, ad non existendum deinceps omnimodè pervenimus, sicut & Abraham, Ego sum, Gen. 18. inquit, terra cinis, pro eo ac si diceret, non sum dignus, cum Deo conloqui homo factus è terrâ, & omnimodis hoc futurus. Magis ergo dicere debuit, quia terra eris, & in terram revertaris, siquidem tunc primum fieret natura mortalis.*

Ejusdem Theodori ex II. Codice libro III. ante quatuor folia finis libri.

Sed nihil horum perspicere potuit mirabilis peccati originalis assertor, quippe qui in divinis Scripturis nequaquam fuerit exercitatus, nec ab infantia juxta Beati Pauli vocem sacras didicerit literas, sed sive de Scripturæ sensibus, sive de dogmate sæpè declamans multa frequenter inepta proposuit, contraria videlicet ipsis Scripturæ dogmatibus, quæ plurimis impudenter exprompsit. Nam potentiam metus nullum contra sinebat effari, sed tantummodo taciti, qui divinarum Scripturarum habebant noritiam, detrahebant. Novissimè verò in hanc dogmatis recidit novitatem, quâ diceret, quod irâ, atque furore Deus Adam mortalem esse præ-

ceperit, & propter ejus unum delictum cunctos necdum natos homines morte multaverit. Sic autem disputans non veretur, nec confunditur, ea sentire de Deo, quæ nec de hominibus sanum sapientibus, & aliquam justitiæ curam gerentibus unquam quis æstimaret. Sed nec illius divinæ vocis recordatus est, quod non diceretur ulterius ista parabola in Israel: Patres manducaverunt quam acerbam, & filiorum dentes obstupescunt? quia hæc dicit Adonai Dominus, dentes eorum, qui manducaverunt uram acerbam, obstupescunt. Ostendens per hæc, quod alterum pro altero juxta quorundam errorem Deus omnino non puniat, sed unusquisque pro delictis suis redditurus est rationem. His consolans Beatus quoque Paulus adnectit: 1 Deus, inquit, qui reddet unicuique secundum opera sua; 2 & unusquisque nostrum onus suum portabit; & 3 tu qui judicas fratrem tuum, aut tu quare spernis fratrem tuum, omnes enim adstabimus ante tribunal Christi. Sed vir mirabilis propter unum peccatum Adæ Deum tanto furore commotum arbitratus est, ut vellet illum atrocissimæ poenæ subdere, & ad universos omnes posteros ejus parem sententiam promulgare, inter quos quanti justi fuerint, non facile numerare quis poterit. Ex quibus eum maximè considerare convenerat, quod valdè videretur incongruum, Noe, Abraham, David, Moysen, & reliquos innumerabiles justos obnoxios poenæ redditos ob unius delictum, & unum, atque ex gustu arboris adprobatum, & quod sic ultra modum justitiæ iram suam Deus extenderit, ita ut posterorum virtutes cunctas abjiceret, eosque propter unius peccatum Adæ tanto supplicio manciparet. Nam & si nihil aliud, saltem de Abel mente perpendens, convenienter æstimare debnerat, qui primus justus existens, primus est mortuus. Et siquidem mortem Deus ad poenam statuerat hominum, quomodo non impietatis erat extremæ, vivere quidem eum, qui fuit causa peccati, vivere etiam cum illo & Evam malitiæ repertricem (prætermitto autem Diabolum in immortalitate hæcenus perdurantem) primum verò justum, repertoremque virtutis, primumque divini cultus curam gerentem ante omnes poenâ peccantium fuisse perculsum. Oportebat autem sapientissimum virum & de Henoch, qui non est mortuus, diligenter expendere, non enim tantâ virtute, vel pietate præditus fuit, ut melior omnibus existeret, Moysè dico, & Prophetis, Apostolisque, & reliquis omnibus, de quibus ait beatissimus Paulus, quibus dignus non erat mundus, ita ut illis mortuis ipse solus sine mortis experientia perduraret. Sed jam ab initio Deus hoc habuit apud se definitum, ut primum quidem mortales fierent, postmodum verò immortalitate gauderent, sic ad utilitatem nostram fieri ipse disponens. Et post paululum. Manifestius, inquit, hæc eadem Deus ostendit, cum transfert Henoch, & immortalera facit. Nam si per peccatum causâ supplicii Deus intulit mortem, nec olim definitum hoc habuit, apud se ineffabiliter pro nobis juxta propriam sapientiam cuncta dispensans, nequaquam Henoch quidem immortalis existeret, Dominus autem Christus ad mortis experientiam perveniret. Et post paululum. Idcirco, inquit, Dominus auctor omnium bonorum hominibus factus est, ut sicut Adam primi, & mortalis status extitit inchoator, & ipse secundi, & immortalis status initiator existens primus Adæ prioris naturalia custodiret, dum nascitur

Ex eccl 18.

1. Rom. 2.

2. Gal. 6.

3. Rom. 14.

Hebr. 11.

Cap. 2. „citur ex muliere, dum pannis involuitur, & pau-
 „latim ætatis incrementa fortitur, Lucas enim in-
 „quit: *Proficiebat ætate, & sapientiâ coram Deo,*
 „*& hominibus,* dum circumcisionem suscipit, dum
 „juxtâ legalem consuetudinem Deo adstitit in tem-
 „plo, parentibusque subicitur, & conversationi
 „legitimæ mancipatur, sic etiam ad expletionem
 „reliquorum, & mortem, utpotè naturæ tributam,
 „postremò suscipit, ut secundum legem humanæ na-
 „turæ moriens, & à mortuis divinâ virtute resur-
 „gens, initium cunctis hominibus, qui mortem
 „secundum propriam naturam suscipiunt, fieret,
 „ut à mortuis surgant, & ad immortalem substan-
 „tiam commutentur. Sicut enim conformes Adæ
 „secundum statum præsentem sumus omnes effecti,
 „sic Christo Domino juxtâ carnem conformes effi-
 „ciemus imposteriorum: *Transfigurabit enim corpus hu-*
 „*ilitatis nostræ conformes fieri corporis gloriæ suæ.* Et;
 „*Qualis terrenus, tales & terreni, qualis celestis, tales*
 „*& celestes, & sicut portavimus imaginem terreni, por-*
 „*temus etiam imaginem celestis.* Ostendens, quòd pri-
 „mi status Adæ participes effecti, necessariò etiam
 „secundi Adæ Christi Domini secundum carnem fu-
 „turi status participium consequemur, utpotè qui
 „ex hac eadem naturâ constet exortus, & cuncta,
 „quæ fuerant naturæ, suscepit, & ideo sustinue-
 „rit mortem, ut mortem naturæ suscipiens, & à
 „mortuis resurgens, naturam liberam à morte per-
 „ficeret, & mortem quidem propterea suscepit,
 „peccatum verò nequaquam, sed ab hoc immunis
 „omnino permansit; quod enim erat naturæ, idest
 „mortem, indubitanter assumpsit, peccatum verò,
 „quòd non erat naturæ, sed voluntatis, nullo pac-
 „to suscepit, quòd si fuisset in naturâ peccatum jux-
 „tà sapientissimi hujus eloquium, peccatum in na-
 „turâ prorsus existens necessariò suscepisset.

*Ejusdem Theodori de Codice II. ex
 lib. III. fol. XVIII.*

„Si inquit, peccatum Deus nesciebat Adam, sit
 „horum sapiens sapientissimorum & ista responsio,
 „quòd hoc insanissimum est vel in cogitatione perci-
 „pere, manifestum est, quòd & peccatum eum
 „noverat, & propter hoc proculbio moriturum.
 „Quomodo ergo non est extrema dementia credere,
 „quòd primitus eum immortalem in sex horis fece-
 „rit, nam tantæ fuerunt à conditione ejus usque ad
 „commissionem peccati, quandoquidem sexto die
 „factus è terrâ, & comedens contra divinum man-
 „datum de paradiso pulsus est, mortalem verò post
 „peccatum monstraverit; certum est enim, quia si
 „eum immortalem esse voluisset, nec intercedens
 „peccatum Dei sententiam commutasset, quia nec
 „Diabolum fecit ex immortalis mortalem equidè
 „cunctorum malorum existens principium.

*Ejusdem Theodori II. Codice ex
 lib. III. fol. XXV.*

„Non enim, inquit, his, qui ab Adamo usque ad
 „adventum Christi Domini in tantis fuerunt impie-
 „tatibus, & iniquitatibus, quantas Beatus Paulus
 „propriis verbis expressit, ut in superioribus ex ejus
 „declaratum est vocibus, tanquam magnum quid-
 „dam resurrectionis collaturus est præmium, si eos
 „supplicis quibusdam sine fine, & sine correctione
 „tradiderit. Nam ubi jam loco muneris resurrectio

„computabitur, si pœna sine correctione resurgen-
 „tibus inferetur? *Et post paululum.* Quis, inquit,
 „ita demens, ut tantum bonum credat materiam fie-
 „ri resurgentibus infiniti supplicii, quibus utilius
 „erat omnino non surgere, quàm tantorum, & ta-
 „lium malorum post resurrectionem sub infinitis
 „pœnis experientiam sustinere.

Hos verò Theodori libros, quorum excerpta Mercator literis consignavit, esse illos ipsos, quorum Photius superius laudatus meminit, certum est; hic enim scribit ibidem, Theodorum *Origenis saltem de sine suppliciorum mustitare sententiam*, quod Origenis delirium de futuro in die judicii suppliciorum inferni sine, Theodorum tradidisse ex adductis ejusdem à Mercatore verbis intelligimus. Puto etiam, hosce Theodori libros eosdem esse, qui in Synodo V. Col-lat. 4. cum plerisque ejusdem voluminibus nominantur sub hoc titulo: *Ex libro quinto commenti de creaturâ*, ubi hæc Theodori verba recitantur: *Idè in duos status divisit Deus creaturam præsentem, & futuram, in illo quidem ad immortalitatem, & immutabilitatem omnia ducturus, in presenti verò creaturam in mortem, & mutabilitatem interim dimittens; Nam siquidem statim ab initio immortalitatem nos fecerit, & immutabiles, nullam differentiam ad irrationalia habere-mus proprium nescientes bonum &c.* Cur verò in memoratâ Synodo, in quâ Theodori errores discussi sunt, impiæ ejusdem adversus originalis peccati assertio-nem argumentationes in examen vocatæ non fuerint, illud in causâ fuit, quòd jam indè ab initio Theodorus tanquam Nestorianæ hæresis Magister à Catho-licis statim post celebratam Synodum Ephesinam pub-licatus fuerat, pravæque ejusdem de Christi Incar-natione sententiæ ab aliis passim disseminatæ, undè ob easdem præcipuè auctor hæreseos accusabatur, ommissis aliis plurimis ejusdem erroribus; Ita etiam in Constituto Vigilii Papæ, ubi tot hæretica Theo-dori asserta referuntur, nullus ejusdem de peccato originali error memoratur, sed solummodo impiæ de Christo opiniones.

Porro licet in illis quinque libris contra Hierony-mum præsertim Theodorus scripserit, illius enim fama toto Oriente personabat, Augustini etiam li-bros de Peccatorum meritis, & remissione impugna-vit, itemque Epistolam 89. ad Hilarium; Etenim Hieronymus in sine Dialogorum pauca tantum ver-ba pro peccato originali adstruendo habet, laudat verò pro eâ re operosa Augustini volumina de Pecca-torum meritis, & remissione in Asiam ad se delata, quæ cum Theodorus in Hieronymi dialogis legerit, eidem quæsi-visse indubium est, præsertim cum ex Photii excerptis constet, ea Theodorum impugna-se, quæ apud Augustinum tantum de originis reatu explicata leguntur; unde rectè Mercator, qui Theo-dori libros legit, scriptos illos dixit *contra Sanctum Augustinum defendentem originale peccatum.* Profectò Pelagius, ejusque discipuli laudata Augustini volu-mina unâ cum Epistolâ ad Hilarium, quæ in Synodo Diospolitana contra eosdem lecta fuerat, ad novum sectæ patronum misere, quòd Catholicorum con-atus per eundem intringerent. Puto autem, Theodo-rum quinque illa volumina exarasse circa annum 416. etenim Theodorus referente Photio scribit, Hierony-mum *libros de recens à se excogitatâ hæresi compositos, ad populares suos in patriam transmittere*, cum verò illos Hieronymus emisserit anno 415. eosdem anno sequenti Theodorus vano, ac infelici labore consu-tare conatus fuit. Et quidem cum anno 417. Zosi-

mus Papa Pelagium, ejusque hæreses condemnasset, encyclicas contra eundem literas publicavit, quas Marius Mercator in Commonitorio ad Theodosium Imperatorem missas testatur ad Orientales Ecclesias, *Aegypti Diocesim, & Constantinopolim, & Thesaloniam, & Hierosolymam*, & inferius de eadem Epistola ait: *Per totum Orbem missa subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata.* Quare certum est, Alexandrum Antiochenum, qui id temporis Orientales Ecclesias uti Patriarcha regebat, eandem encyclicam Zosimi per universam Orientis diocesim publicasse, contra quam Theodorus tam multa scribere minime ausus fuisset, nec dixisset Occidentales ea hæresi infectos, ut ex eodem Photio habemus, cum Orientales Ecclesie Occidentalium Patrum sententiam uti Orthodoxam subscripserint.

CAPUT X.

Synodus Carthagenensis, & Milevitana contra Pelagium, ac Cœlestium celebrantur. De Milevitanis canonibus contra Pelagianos aliorum sententia expenduntur.

Orosius ex Oriente in Africam cum sacris Stephani reliquiis appulerat, quæ non uno loco summâ pietate, ac veneratione receptæ plura miracula edidere, de quibus Evodius Vzalenfis librum scripsit, qui in appendicem tomi decimi Augustiniani rejectus fuit. Ille quidem rectâ ad Augustinum perrexit, eique tum Hierosolymæ, tum Diospoli in Pelagii causâ gesta significavit, literas etiam ostendens, quibus Eros, ac Lazarus Africanos Episcopos de Pelagii dolis certiores reddebant. Augustinus his probè cognitis ægrè tulit, Orientales Antistites Hæretici arte deceptos, quare Auctor Orosio fuit, ut Aurelium Primatem Carthagenensem, qui primus Cœlestium anathemate percusserat, conveniret, eique gestorum in Palestinâ seriem exponeret. Aurelius rem ad provinciæ Proconfularis Synodum referendam duxit, quæ ubi Carthagine convenit, Pelagianorum causâ ab Episcopis LXVIII. cognita est. Patres re serid agitât, ac iis repetitis, quæ antè ferme quinquennium contra Cœlestium statuta fuerant, simulque gesta in Palestinâ considerantes, ubi Pelagius à provinciali Synodo absolutus fuerat, in hanc sententiam descendere: *Etiamsi Pelagius, Cœlestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, & quæcunque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodum de mendacio convincantur: generaliter tamen quicunque dogmatizat, & affirmat, humanam sibi à vincenda peccata, & Dei mandata faciendâ sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adversarius invenitur; Et quicunque negat, parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Quibus Pelagii, ac Cœlestii personæ parentes, eorundem errores anathemate confixerunt; Porro quod major decreto vis inesset, illud per literas Innocentio Papæ subscribendum misere unâ cum Epistolis Erotis, ac Lazari, quas ab Orosio se accepisse Patres testantur in literis Synodalibus, quæ apud Augustinum Epist. 90. leguntur.

Paulò post etiam à Numidis celebratum est Concilium Milevitanum; est autem Milevis Numidiæ urbs, cujus sacris id temporis Severus præfectus erat, unde patet errare eos, qui hanc Synodum in insulâ Melitâ coactam putant. Convenere ad hunc confes-

sum unus & sexaginta Episcopi, quos inter Sylvanus Numidiæ Primas, ac Concilii Præses, Augustinus, & Alipius; Erat Sylvanus Episcopus Zummenfis, & anno 411. tempore collationis Carthagenensis uti Numidiæ Primas encyclicas subscripserat, uti lib. 2. cap. 7. dicemus. Discussa est Pelagianorum causa, nihil tamen contra Pelagium, aut Cœlestium decretum fuit, sed eosdem uti novorum dogmatum inventores per literas apud Innocentium Papam accusarunt, in quibus hæc inter cætera conscripserunt: *Ut ergo alia omittamus, quæ contra sacras scripturas plurima disseverunt, hæc interim duo, quibus omnino totum, quod Christiani sumus, nituntur exerrere, quæ fidelia corda sustinent, non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam sit noster adjutor, & non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacramentum.* Insinuarunt postea Pontifici Cœlestium in Asiâ ad presbyteratum irrepsisse, Pelagium verò Hierosolymis subsistere, laudantes interim Hieronymum adversus eosdem acriter decertantem; Epistola Synodica est inter Augustinianas 92. Numidiæ mitius eo in conventu egerre, quàm Patres Carthagenenses, nam Pelagianos nullo anathemate percusserunt, sed causam ex integro Romano Pontifici judicandam detulere. Harum Synodorum mentionem facit Sanctus Prosper in carmine contra ingratos cap. 2.

*Tu causam fidei flagrantius Africa nostræ
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conscis, & lato posternis limite viclos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.*

Hi conventus circa autumnum hujus anni 416. celebrati fuisse videntur, nam exeunte Januario anno sequenti utriusque Epistolæ Innocentius respondit.

Collectores Conciliorum edidere Synodum Milevitanam coactam, ut in titulo prænotatur, Arcadio, & Honorio Augg. Consi. in quâ leguntur statuti canones viginti septem, quorum octo priores Pelagianorum hæresim damnant. Cardinalis Baronius præ singulari, quâ pollebat eruditione, rectè observavit, nullos in eâ Synodo canones contra Pelagianos potuisse decerni, quippe quæ anno 402. quo fratres Augusti ultimum simul consulatum gessere, celebrata fuit, quo tempore nondum Pelagianorum nomen orbi innotuerat. Ibi autem rectè monet, farraginem illam septem, & viginti canonum, quos veteres Synodorum collectores per satyram congestos unius Synodi Milevitanæ nomine inscriptos publicarunt, ad diversa Africana Concilia pertinere. Idem tamen arbitratur, octo canones contra Pelagianos, qui ibidem leguntur, non à priori, sed à posteriori Milevitanâ Synodo anno 416. decretos esse. Digestores verò Conciliorum ejusdem urbis, nomine deceptos tradit, itemque quod utrumque generale concilium fuerit, quibus & unus, idemque Aurelius Carthagenensis Episcopus præfuit. Hæc ille ad annum 402. pag. 164. Baronii sententiam sequuntur ejusdem exscriptor Binius, & in recenti Conciliorum editione Philippus Labbæus, qui pariter Binii tantum notas satis jejunè exscripsit, nihil tamen de Vossii, ac Jansenii sententiâ prælocutus, qui negant octo memoratos canones contra Pelagianos Milevi editos fuisse, quæ etiam sententia placuit Chiffletio in notis ad canonem 50. Ferrandi pag. 287.

Existi-

Existimō ex viginti septem canonibus, qui vulgò Milevitani dicuntur, tres tantum à priori Synodo eà in urbe habitâ exaratos fuisse: nempe XIII. XIV. & XV. reliquos verò alienum fundum occupare. Etenim cum anno 419. in Synodo Carthagenensi recitentur statuta omnium Conciliorum, quæ sub Aurelio Primato in Africâ celebrata fuerant, tres tantum canones memorati Milevitanae priori Synodo deputati sunt, cæteris reapse duobus Conciliis Carthagenensibus adscriptis. Primi VIII. canones editi fuerunt, ut mox probabo, à plenariâ Synodo Africanâ Honorio XII. & Theodosio VIII. Confs. anno 418. quando Pelagiana hæresis in universali ex Africâ Concilio primitus damnata fuit. Canones verò sequentes IX. X. XI. XII. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. statuti fuerunt à Synodo Carthagenensi Honorio VII. & Theodosio iterum Augg. Confs. anno 407. Canones XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. leguntur iisdem omnino verbis prolati in plenariâ Synodo proximè memoratâ anni 418. Profectò canon XXVII. est ab illâ Synodo alienus; nam illic legitur subscriptus Donatianus Teptensis primæ sedis; cum certum sit anno 402. quando Synodus Milevi habitâ fuit, Mizonium fuisse Episcopum primæ sedis in Byzacenâ Provinciâ. Erat Mizonius anno 397. Byzacenorum Primas ex codice laudato, ubi recitatur Synodus Cæsario, & Attico Confs. celebrata; idem pariter memoratur insertus in Synodo indictâ Stilichone iterum, & Anthemio Confs. anno 405. & vivebat anno 411. ut deducitur ex gestis collationis Carthagenensis capite 173. quo tempore Donatianus nondum ad primatum provinciæ evaserat, ut dicemus inferius cap. 13. In codice Africanorum Conciliorum à capite 53. sex tantum isti canones Milevitanae priori Synodo adscribuntur. I. Quinam Episcopi alios debeant præcedere. II. De archivo, & matricula Numidiæ. III. De Quodvultdeo Episcopo. IV. De Maximiano Episcopo. V. De Epistolâ diem consecrationis Episcoporum exprimente. VI. De Lectoribus ad alienas Ecclesias non promovendis. Cur enim, si Milevitana Synodus tot canones disciplinæ Ecclesiasticæ pernecessarios præscripsisset, in illâ eorundem repetitione anno 419. ab Aurelio injunctâ prætermitti fuissent, & diversis aliis Conciliis deputati? Ferrandus Diaconus Carthagenensis in collectione canonum laudat duo hujusc. Milevitani Concilii statuta. Titulo X. Ut Episcopus ordinatus ab ordinatore literas accipiat: & Tit. LXXVII. Ut nullus Episcopus prioribus suis se audeat antepone. Qui duo canones verò à Milevitanis Patribus emanarunt, nusquam verò ullum aliorum canonum ex iis, qui vulgò Milevitani dicuntur, sub titulo hujusc. Synodi adducit. Imò Tit. XXX. recitat canonem, quo urgente necessitate virginis consecratio ante annum vigesimum quintum permittitur, appellat autem non Synodum Milevitanae, sed Carthagenensem, licet inter canones Milevitanos sit vigesimus sextus; est autem canon XVIII. Synodi Carthagenensis anno 418. celebrata, & rectè ab eodem Ferrando uti canon decimus octavus ejusdem Concilii adducitur. Prætercâ Titulo XXXIV. recitat canonem ex Concilio Carthagenensi Tit. 9. quo appellationes ad Imperatorem Episcopis interduntur. Hic etiam canon est inter Milevitanos undevicesimus, & verè statutus fuit à Synodo Carthagenensi anno 407. Tandem Tit. CLXIII. laudat canonem, quo continentia præcipitur iis, qui uxores, aut viros dimittunt, illumque attribuit Synodo Carthagenensi pro-

ximè memoratæ tit. 7. non verò Milevitanae anni 402. cum tamen titulo 17. ibidem insertus legatur. Ex quibus evincitur, canones Milevitanos à Conciliis Carthagenensibus statutos fuisse teste ejusdem Ecclesiæ Carthagenensis Diacono sanctissimo, ac doctissimo. At neque octo illi canones contra Pelagianos adscribi possunt Synodo posteriori Milevitanae, quoniam nusquam Sanctus Augustinus canones hujus Synodi appellat, sed literas tantum ab Africanis scriptas ad Innocentium laudat, Epistolâ 95. *De conciliis duobus*, inquit, *provincia Carthagenensis, atque Numidiæ ad tuam sanctitatem à non parvo Episcoporum numero subscriptas literas misimus contra inimicos gratiæ Christi.* Si verò canones condidissent, memoratis literis adnexi legerentur, eosque Innocentio adprobandos misissent. Rursus Epist. 94. ad Hilarium ait: *Jam enim, cum ista scriberem, cognoveramus in Ecclesiâ Carthagenensi adversus eos Episcopalis Concilii conditum fuisse decretum per Epistolam sancto, & venerabili Papæ Innocentio dirigendum, & nos de Concilio Numidiæ ad eandem Apostolicam Sedem jam similiter scripseramus; & antea præmittit hæc ipsa: Nova quædam hæresis inimica gratiæ Christi conatur exurgere, sed nondum videtur ab Ecclesiâ separata est.* Porro decretum Carthagenensis Concilii hic ab Augustino laudatum in hæc verba in Epistolâ Synodali conceptum legitur: *Id communi deliberatione censuimus, ut hujusmodi persuasionis auctores, quamvis ad presbyterium idem Cælestinus postea pervenisse dicatur, nisi hæc apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur.* Hæc itaque gestum Domine Frater sancta charitati tue intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolica Sedis adhibeatur auctoritas. Ex quibus constat, Africanos nullos contra Pelagianos canones statuisse, sed ni palinodiam errorum canerent, à fidelium communione eosdem removendos duxisse; At octo illi canones à Baronio his Synodis provincialibus Africæ deputati anathemate sigillatim clauduntur, ut jam ea sentientes, quæ per illos damnantur, evidenter ab Ecclesiâ separati appareant, cujus oppositum contigisse Augustinus Hilario per literas contestatus est. Idem Epist. 106. ad Paulinum ait: *Misæ sunt itaque de hære ex duobus Conciliis, Carthagenensi, & Milevitano relativi ad Apostolicam Sedem.* Nullos itaque canones Africani condidere, sed integram Pelagianorum causam ad Romanam Ecclesiam detulerunt. Hinc Cælestinus Papa, ut vulgò putant, in literis ad Gallicanos Episcopos cap. 10. scribit: *Illud etiam, quod intra Carthagenensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, statimque subjungit quosdam canones Milevitano Concilio à Baronio attributos, qui tamen Carthagenensi ibidem adscribuntur, & quidem plenario ex universâ Africâ coacto. Postremò cum præterita Concilia tempore Aurelii in Africâ celebrata anno 419. in plenariâ Synodo Carthagine indictâ repeterentur, canones illi octo recitati sunt ex Concilio Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Confs. Kalendis Maii Carthagine peracto ex cap. 76. Cod. Africanis. Ex his patet perperam Tom. 4. Concil. Edit. Regiæ illos octo canones cum reliquis attribui Synodo Milevitanae II. cui ibidem canone ultimo dicitur præfuisse Aurelius cum Donatiano Primato Byzaceno, ac provincialium Legatis. Etenim huic præsedit Sylvanus Zumenis cum Numidiæ Episcopis, ne-*

que fuit Concilium Generale, ut putavit Baronius, cujus verba superius dedimus, sed Provinciale ex epigraphe Epistolæ 92. apud Augustinum.

Augustinus fidei causam omni conatu adversus Pelagianorum insidias defensus privatas etiam ad Innocentium literas dedit, quibus tamen ut majus auctoritatis pondus inesset, easdem ab Alipio, Evodio, ac Possidio subscribendas curavit. Hi quidem olim Augustino convixerant, atque ex Augustiniano Hipponensi Monasterio nobiles in Africanâ Ecclesiâ Sedes indepti erant. Alipius Tagastensis Episcopus scientiâ, & auctoritate percelebris, rebusque contra Pelagianos gestis insignis sæpius nobis inferius commendabitur. Evodius militiâ relicta, ac Christianis sacris initiatus Monachum cum Augustino concive induerat, & paulò post Uzalæ in provinciâ Proconsulari Antistes consecratus anno 404. contra Donatistas à Synodo Africanâ legatus ad Honorium missus fuit; Hic Synodo Carthagenensi hoc anno contra Pelagianos peractæ non interfuerat, non enim in literarum epigraphe nominatur. Possidius erat Episcopus Calamensis, & anno 410. publicâ legatione contra eosdem Donatistas apud Imperatorem perfunctus fuit, ejusque operâ factum est, ut Honorius Marcellinum in Africam summâ cum potestate mitteret, à quo anno sequenti indictâ collatione Carthagenensi, Possidius unus è septem Episcopis fuit, qui contra Donatistas disputarunt. Egit pariter Augustinus cum Aurelio, ut & ipse tanquam Primas Africæ laudatæ Epistolæ nomen daret. Cæterum in his literis Augustinus suis omnibus abrais, suis coloribus Pelagianam fraudem depinxit; insinuavit Innocentio, vulgò jactari, Pelagium plures Romæ patronos habere, nonnullos, quod Pontificem in eadem sententiâ cum Pelagio esse sibi persuadebant, cæteros, quod Pelagio falsò eos errores adscribi arbitrabantur; dein pluribus in Pelagianam hæresim invecus, quò de facie tota ab Innocentio cognosceretur, Pelagii librum ab eisdem discipulis sibi proditum eidem misit; ne verò Pontifici tot curis occupato multum laboris injiceret, asteriscis capitales ejusdem errores notavit, addidit etiam volumen de Naturâ & Gratiâ, quo librum Hæresarchæ confutaverat, itemque Epistolam abs se ad Pelagium datam, quâ respondebat alteri ab ipso met. Pelagio in sui defensionem perscriptæ, curavit autem per Summum Pontificem eandem transmittere, ut Pelagius magis eum, qui misisset, quam qui scripsisset, attenderet. Insinuavit etiam Pontifici, Pelagium aut Romam acciendum, ut divinæ gratiæ suomet ore palàm sinè ambagibus testimonium daret, vel hoc ipsum per literas agendum; nondum etiam ad se delata significavit gesta Synodi Palæstinæ, ex quibus Pelagii sententia melius cognosceretur, & concludit Epistolam: *Utrum etiam noster rivulus licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari.* Hanc Epistolam unâ cum literis utriusque Synodi Carthagenensis, & Milevitanae Julius Episcopus Romam ad Innocentium tulit. Palladio intereâ Syraculis navigante Augustinus scripsit ad Hilarium, cunctorum, quæ tunc in Africâ contra Pelagianos gesta fuerant, eundem certior reddens, nam & antè biennium alias ad illum literas dederat, quibus excitatus Syraculis à Cælestii discipulis quæstiones enodarat. Prius etiam scripserat Augustinus ad Joannem Hierosolymita-

num, cum accepisset ab Orosio, quantam Pelagio advocationem commodasset, rogans eundem, ut gesta Synodalia in Africam transmittere dignaretur, ea enim ab Africanis enixè desiderabantur, cum verò diu, diuque responsum expectasset, iteratò ad eundem scripsit; Ea autem est Epistola 252. in quâ hæc habet, quibus nimius Joannis ergà Pelagium amor significatur. *Pelagium verò fratrem nostrum, filium tuum, quem audio, quòd multum diligis, hæc illi exhibeas suggero dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt, non ab eo tuam Sanctitatem existiment falli; Cùmque sibi certò Augustinus persuaderet, ambiguo gratiæ vocabulo Joannem à Pelagio fortè decipi, non solum eundem fraudis admonuit verum etiam librum Pelagii & suum de Naturâ, & Gratiâ transmisit, rogans Joannem, ut Pelagium erroris admoneret, hæc præfatus. *Si diligitis Pelagium, diligat vos etiam ipse, imò magis se ipsum, & non vos fallat.* Video Scriptores Carmelitas Baronio subinfectos, quòd Joannem Pelagianismi incusarint; Illud tamen certum est, Augustinum apertè docuisse, Joannem Pelagii sententiam in congressu Hierosolymitano expugnasse; hæc enim ad perpetuam Joannis commendationem in lib. de Gestis Pelag. cap. 30. scripta reliquit, nempe, *ipsum giganteos montes adversus supereminentiam gratiæ celestis struètos tribus divinorum testimoniorum tanquam fulminum ictibus dejecisse.* Joannes quidem non Pelagii sententiam tenuit, sed Pelagium suam ipsius tenere existimavit, in quo deceptus est, sed haud mirum, cum hæreticus ipsum Romanum Pontificem Zosimum iis quoque artibus circumvenerit. Num verò Joannes libros, ac literas ab Augustino missas acceperit, in incerto est, paulò enim post diem obiit succedente Praylo, qui Pelagio impensius initio, & ipse favebat.*

Cum Synodalia gesta de more literis mandanda essent, quò posteriorum memoriæ traderentur, utraque Synodus eam provinciam Augustino imposuit, qui Hipponem rediens, quò diligentius injunctum munus exqueretur, cuilibet se adeundi facultate interdictâ, per quinque dies gesta disposuit, quæ postea ad plerosque subindè, ut occasio ferebat, ipse transmisit. Hæc pro concione Hippone recitavit Augustinus: *Placuit, inquit, mihi, & vobis propter curam Scripturarum, quam mihi Fratres, & Patres mei Coepiscopi duobus Conciliis Numidiæ, & Carthagenis imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset; Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis; Recitatur placitum vestrum, & acclamatio vestra:* Epist. 110. Quæ tamen non adeò constanter affirmare ausim, quin de aliis fortè Synodis illa melius accipi possint, quotannis enim tum in Numidiâ, tum in Proconsulari provinciâ Synodi cogeantur; illa verò Augustinus pro concione dixit anno 426. ut recentiora videri cuiquam possit Concilia laudasse, quam olim ante decennium celebrata.

CAPIT X I.

Sanctus Innocentius Papa Pelagianos damnat, paulò post obit, ejusdem mortis tempus aliud à vulgari chronologiâ probatum. Augustinus contra Pelagii sectatores ad Paulinum scribit. Anno

Innoentius Pontifex Africanorum Patrum literis à Julio Episcopo acceptis anno 417. re maturè consideratâ, Pelagianorum hæresim damnavit: Acceperat

417.

perat idem paulò antè gesta Palæstina, quibus evolutus probè se cognovisse, testatus est, Pelagium *obscura partim vitando, partim interpretando, partim ad tempus negando totà se obscuritate confudisse.* Epist. 96. inter Augustinianas. Quare in Pelagium, ac Cælestium novis istis ex Africâ literis excitatus anathema pronuntiavit, quod ibidem Epist. 93. ad Milevitanos tale est. *Quare Pelagium, Cælestiumque idest inventores vocum novarum, qua sicut dixit Apostolus, edificationis nihilum, sed magis vanissimas confuserunt parere quaestiones, Ecclesiasticâ communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec respiciant de Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem, eosque interim ovili Dominico non recipi, quod ipsi perverse vi sequuti transitem deserere voluerunt.* Datum VI. Kal. Februarias Honorio Aug. & Constantio V. C. Cons. Postridiè verò nempè V. Kal. Februar. rescripsit Patribus Carthaginensis Synodi: In plerisque tamen codicibus M. S. eadem die utraque Epistola data legitur; at privatis literis Aurelii, Alipii, & Augustini respondit Innocentius pridie Kal. Februarias, nam è codice Corbejensi hanc earundem subscriptionem profert Sirmondus lib. 2. Propem. cap. 2. *Data pridie Kal. Februarias post consulatum gloriosissimi Theodosii Aug. VII. & Junii Quarti Palladii V. C.* Porro in Epistola ad Augustinum scribit, à Laicis quibusdam gesta se Palæstina accepisse; indeque satis colligi, Pelagium suæ absolutioni non fidere, quippe qui nec illa ad se perferenda curasset, nec ab aliquo iudicium ad Sedem Apostolicam mittendum pro sui defensione testimonium impetravisset; haud illum sibi per literas Romam accersendum, sed huic potius festinandum, quò correctus vel coram, vel per literas absolutionem obtineat; Eiusdem Pelagii librum se evoluisse, multis illum blasphemis scaterere, nihil in illo, quod placeret, nihil, quod non displiceret, assertum; ipsius verò Augustini Epistolam latius contra Pelagium disputantem integrâ ratione consistere, ut & illis omnem tollere posset errorem, & idoneum dato cuius nostræ legis exemplo, quem se qui debeat, dignum possit præbere Doctorem. Hæc Innocentius.

Augustinus amicorum tandem industriâ Palæstinæ Synodi gestis acceptis, quòd vulgò in illâ Pelagius absolutus ferebatur, quasi illi Episcopi in eiusdem sententiam pedibus ivissent, operæ pretium duxit, librum condere, quo gesta illa Orbi Catholico exponens hæretici vitamenta propalaret, ejusque dolos apertissime demonstraret, simul etiam doctos, ac pios Antistites defenderet, quos, fama erat, Pelagianos errores plenis suffragiis approbasse. Librum ergo de Gestis Palæstinis, seu ut alii malunt, de Gestis Pelagii, (& hic planè titulus libri legitur) conscriptum Aurelio Carthaginensi nuncupavit, *ne illo velut absoluto, de Pelagio loquiter* 2. Retract. cap. 47. *eadem quoque dogmata putarentur iudices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exisset.* Hic liber de Gestis Palæstinis diu latuit, tandemque in Fesulanâ Canonicorum Regularium Bibliothecâ inventum Velferus edidit; ego Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ inter codices olim ducum Urbini num. CXVIII. aliud eiusdem exempli volumen pulcherrimis characteribus exaratum legi.

Innocentius Pontifex damnatis Pelagianis, quasi nihil, undè plus gloriæ eidem adjici posset, esset reliquum, paulò post ad superos evocatur IV. Idus Martii. Video insignem annalium scriptorem ad

annum 417. scribere, Sanctum Innocentium diem obiisse V. Kal. Augusti, quo die ejusdem memoria ab Ecclesiâ celebratur; Scio Panvinum meum in Chronico Ecclesiastico asserere Innocentium mortuum anno superiori 416. Verùm ab utriusque sententiâ discedo; Certè Panvini opinio evidenter refellitur ex subscriptione literarum Sancti Innocentii ad Synodum Milevitanam inter Epistolas August. 93. data enim dicuntur *Sexto Kal. Februarias Honorio, & Constantio V. C. Cons.* Planè designatur præsens annus 417. quo Honorius XI. Conitantius verò alterum consulatum gessit; nam primùm consul hic fuit cum Constante anno 414. tertium verò cum Theodosio Augusto anno 420. Baronii, & omnium ferè sententia ex Anastasio desumpta indè nobis non probatur, quòd in omnibus antiquis Martyrologiis Sancti Innocentii Papæ mors recitatur die duodecimâ Martii. Edidit Bollandus Martyrologium Sancti Hieronymi ante mille annos vetustissimis characteribus exaratum, ubi legitur: *IV. Idus Martii Romæ depositio Sancti Innocentii Episcopi.* Hunc verò non Romanum Episcopum, sed alterius sedis Præsulem Romanum profectum, ibique postea mortuum idem Bollandus existimat. Sed est vetustissimum Martyrologium, quod Rosveydus vir eruditus vocat *fontem omnium aliorum Martyrologiorum*, missum ex urbe ad Aquilejensem Antistitem à Romano Pontifice, quod etiam antiquum Bollandus nominat; porro ad IV. Idus Martii scriptum ibi legitur: *Sanctorum Pontificum Gregorii, & Innocentii.* Idem habet Martyrologium editum à Luca Holstenio unâ cum actis Martyrum Felicitatis, & Perpetuæ. Hoc item constat ex Martyrologiis Bedæ & Adonis, qui auctores antiqui sunt, & ex vetustioribus codicibus sua Martyrologia exscripsere. Beda scribit: *IV. Idus Martii Romæ Sancti Gregorii Papæ & c. Eadem die Beati Innocentii Papæ, qui vixit Ecclesiam annos XV. menses duos, dies 21. Hic constitutum fecit de Ecclesiâ, & Pelagianum, & Cælestium Hæreticos damnavit.* Bollandus addit: *Si aliunde certiora indicentur, ea ut Lector amplectatur suademus.* Sunt planè eam rem certiora eruditissimi, ac santissimi viri verba, quæ omne posthac dubium tollant. Paschasius Lilybæi in Siciliâ Episcopus, qui Apostolicæ Sedis Legatus in Synodo celeberrimâ Calchedonenfî primo loco fedit, in Epistola ante 64. Leonis ita scribit: *Tempore recordationis Domini mei prædecessoris vestri Zosimi anno consulatus Honorii Augusti XI. & Constantii II. tunc enim eum declinaretur, ne decimo Kal. Maii dies Pascha teneretur, celebratum est octavo die Kal. Aprilis.* Et postea: *Cum sancte memori a Domino quondam meo, ac Beatissimo Papâ Zosimo & c. illâ nocte, quæ lucebat in diem Dominicam X. die Kal. Maii fons sacer hora comperenti repletus est.* Ecce testimonio viri Zosimi quondam clientis sedisse hunc ipsum Pontificem anno 417. tempore Paschatis. Baronius ad annum 453. scribit datas hæc literas anno 454. quòd in illis solvitur dubium de Paschate anni 455. de quo Leo etiam scripsit ad Julianum Coensem. Vir insignis cyclos minimè advertens non uno loco procul à vero abit. Anno 455. dies passionis Dominicæ accidit X. Kal. Maii Cyclo Lunæ XIX. Solis XVI. lit. B. itemque IX. Kal. Majorum dies Sabbato occurrit. At anno, de quo Paschasius literæ loquuntur, dies passionis XI. Kalendas Maii occurrit, ac IX. Kal. Majorum die Dominica dies obvenit. Est planè ex recitatis characteribus annus 444. qui fuit Bisextilis Cyclo Lunæ VIII. Solis V. lit. B. A. quo anno festivi-

festivitas Paschalis perfecta fuit die 23. Aprilis, de qua eo tempore gravis orta erat controversia, quam Paschasinus solvit. Hoc etiam ostenditur ex consulari Aetii II. & Sigefvulti, à quo annus, de quo scribit Paschasinus, ut ibi testatur, est *octavus embolismalis*. Nam cum illi magistratum inierint anno quadringentesimo trigesimo septimo, quando incepit cyclus ille octo annorum, patet annum 444. ibidem designari. Quod autem in eisdem literis legimus annum, de cuius Paschate controvertitur, esse à consulatu Antonini, & Syagrii *sexagesimum quartum*, (fuerit consules anno 382.) ex librariorum errore descendit, est enim LXIII. atque ita se legisse in Sirmondiano Codice testatur Petavius lib. 2. Doctr. temp. cap. 62. Quare cum litera Paschasini superiori anno datae sint, liquet eas scriptas fuisse anno 443. qui fuit vigesimus sextus à Paschate sub Zosimo à Latinis citra tempus debitum celebrato. Hæc diligentius discussimus, ut literas easdem anno 417. viciniores ostenderemus, ne Paschasini fortè memoria vitio illa de Zosimo verterentur. Præterea in Chronico Jornandis apud Hermannum Contractum legimus: *Anno 417. Quæstio de hujus anni Pascha oritur sub Zosimo*. Hoc ergo anno erratum est in Paschatis celebratione, nam perfecta illud fuit die 25. Martii, cum celebrandum fuisset die 22. Aprilis. Prosper in Chronico ait: *Theodosio VII. & Palladio Coss. Zosimus succedit Innocentio regnans annum unum, menses novem, dies octo*. Cum verò certum sit apud omnes, Zosimum mortuum die 26. Decembris, ejus electio cadit circa diem 17. Martii, vacante Sede quinque duntaxat diebus. Idatius Episcopus, qui juvenis sub Innocentio vixit, initium, & finem Pontificatus Innocentii duplici caractere Cœlesti signat: *Arcadii 8. Solis facta defectio Tertio Idus Novembris feria II. Romanae Ecclesie XXXVIII. habetur Episcopus Innocentius*. Altera etiam eclipys designat annum obitus ejusdem: *Honorii 24. Solis facta defectio die 14. Kal. Augusti, qui fuit V. feria. Romanae Ecclesie XXXIX. praesidet Episcopus Zosimus*. Initia Innocentii rectè statuuntur anno octavo Arcadii, (cum Honorio fratre die 17. Januarii anno 395. imperare cepit) nempe anno 402. Addit Idatius fuisse Olympiadis 295. annum secundum, quo sanè anno die 11. Novembris semihora post ortum Solis cepit Romæ videri eclipys, quæ duravit horis 2. 16. Sole in gradu Scorpii 20. 12. Verum Idatius minus rectè feriam secundam eo anno in tertiam Iduum Novembris incidisse putavit; fuit feria III. Cyclo Lunæ IV. Solis XIX. lit. E. Rursus erravit Idatius, dum annum mortis Innocentii statuit 418. quo Honorii 24. & secundus Olympiadis 299. concurrunt, quo anno XIV. Kal. Augusti accidit eclipys, de qua Chronicon Alexandrinum: *Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. His Coss. solis eclipys accidit mense Julio XIV. Kal. Aug. die Veneris horâ octavâ*. De hac etiam scribit Philostorgius lib. 12. num. 8. *Quod mense Julio in decimam nonam progressa circa octavam diei horam Sol aded defecerit, ut & stella lucerent*. Incepit Romæ horâ post mediam noctem 11. 31. duravit horâ 1. 48. Sole in Cancrî gradu 27. 55. Erravit etiam ponens eâ die 19. Julii feriam V. fuit enim feria VI. ut difertè tradit Chronicon laudatum Cyclo Lunæ I. Solis VII. lit. F. Deniquè idem lapsus est, dum Innocentium XXXVIII. Romanorum Pontificum nuncupavit, qui XXXX. dicendus erat, undè & Zosimus sedit XXXXI. Augustinus Epistolâ 165. ad Genesiosum exactè à D. Petro usquè ad Anastasium In-

nocentii decessorem Romanorum Pontificum catalogum deducit, estque illi Anastasius XXXIX. à D. Petro. Atque hæc de tempore obitus Sancti Innocentii, cujus memoria die 28. Julii recolitur, quod fortè eâ die à Sergio II. ejus reliquiæ translatae sunt in titulum Equitii.

Hic Innocentius relatus est inter Divos, atque ab Augustinianis summâ religione colitur, quod primus Romanorum Pontificum Sancti Augustini sententiam contra Pelagianos in Synodo Milevitana latam Apostolicâ auctoritate firmavit. Idem verò Augustinum impensius amavit, habuitquè cum illo familiare literarum commercium, quarum nonnullas salutationis tantum gratiâ scribere solebat, ut patet ex Epist. 97. inter Augustinianas, ubi Augustinum *Carissimum* nuncupat. Gennadius in lib. de Illustr. Script. cap. 43. hæc ait: *Innocentius Urbis Romanæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium Ecclesiarum, & Orientalium adversus Pelagianos datum, quod postea successor ejus Papa Zosimus latinus* (non latinis ut vulgò legitur) *promulgavit*. Nescio quid Orientalis Ecclesia ante Innocentii decretum statuerit contra Pelagianos; In solâ Synodo Diospolitana eorum causa agitata est, in quo judicio Pelagius absolutus fuit, licet reapse coactus fuerit ad errores objectos anathematizandos, quod sexcenties Pelagianis Augustinus exprobat. Sanè Innocentius noluit approbare acta Synodi Palæstinæ, undè, inquit Epist. 96. ad Augustinum, *non possumus illorum nec culpæ, nec approbare judicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, illum, Pelagium scilicet, constet magis subterfugisse, quam se totâ veritate purgasse*. Photius Cod. 54. scribit, Pelagianos in Oriente ab Alexandrinâ Ecclesiâ fuisse damnatos; *Ejecti sunt, inquit, qui ita senserunt ex Ecclesiâ velut hæretici temporibus Theophili Alexandrini, & Innocentii Romani Antistitis*. Errat Photius, nam Theophilus *lethargo correptus obiit consulatu Honorii IX. & Theodosii V. XV. Kal. Octobris* ex Socrate lib. 7. Hist. Eccl. cap. 7. anno scilicet 412. At eo anno adhuc Pelagiana hæresis latebat, neque usquàm, præterquam Carthagine, insonuerat. Præterea cum Valerianus servus Pelagianus Alexandriam se recepisset, Eusebius Cyrillum Theophili nepotem monuit, ne hæretico locum daret, cum à cæteris Orientalibus Pelagiani expellerentur; *Quomodo nunc, inquit, cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cælesiumque cum suis capitibus condemnarit cunctis eos abiciantibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem receperit, quæ sola, & prima inter comprovinciales suos tales refutare debuerat*. Nihil hic de latâ à Theophilo in Pelagianos sententiâ dicit, quod tamen nepoti avunculi decretorum ad reprehensionem usquè in causâ Chrysostomi tenacissimo inculcandum fuerat. Hinc patet Ecclesiam Orientalem tempore Theophili nihil statuisse contra Pelagianos, undè deceptus est Vossius, qui lib. 1. Hist. Pelag. cap. 39. Theophilum inter Pelagii damnatores numerat Photii testimonio deceptus.

Baronius Anno 416. Num. 14. legens laudatum Gennadii caput 43. putavit Innocentium præter literas adversus Pelagianos ad Africanas Synodos datas condidisse etiam decretum contra eosdem, quod postea Zosimus ad universos Orbis Episcopos direxit. Sed non possum his assentiri, cum hujus decreti nusquam mentionem fecerit Augustinus; Hic Epist. 47. scribit ad Valentinum, mittere se omnia decreta in causâ Pelagianorum, ibique numerat

tres Afrorum Epistolas, itemque tria Innocentii ad eosdem rescripta; rursus Concilii Africani literas ad Zosimum datas, ejusdemque ad universos Episcopos rescriptum; ubi altum de hoc asserto Innocentii decretum silentium. Sed nec putandum est, idem decretum ab Innocentio morte prævento non fuisse publicatum, quod postea Zosimus præstitit; Etenim cur Zosimus initio Pelagianis credebatur? Et quidem cum Cælestius, fraudibus per Africanos palam nondum factis, iterum à Zosimo audiretur, Pontifex Innocentii tantum literas ad Carthaginensem, & Milevitanam Synodum objecit, quod non uno loco repetit Augustinus; Lib. 2. ad Bonif. cap. 3. ait: *Insuper etiam Cælestium se purgare molientem ad consentientium. Supradictis Sedis Apostolicæ literis crebrâ interlocutione contrinxerit*; Et lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 7. testatur Zosimum instasse Cælestio, *us Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Præcessore manaverant, præberet assensum*. Sanè Innocentii decretum Zosimus Cælestio opposuisset, si in Ecclesiasticis scripturis illud invenisset. Quare Gennadius nomine decreti illud tantum intellexisse dicendus est, quod in memoratis Innocentii literis ad Africanos Patres contra Pelagianos statutum fuerat. Scio Erasmus scribere Innocentium in dictis literis suo more seruum potius, quàm eruditum apparere, cujus censura sine reprehensione ita à Vossio recitatur lib. 1. cap. 27. *An verò Epistola ista tunc sint dignæ Antistite, cum quoquam contendere volumus. Negabat sanè id magnus Desiderius*. Verùm Epistola illæ commendantur ab Augustino lib. 1. contra Jul. cap. 4. *Quid enim, inquit, potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitatis Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia? & quibusdam ejusdem sententiis laudatis, Hinc responde, inquit, imò ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio*; & lib. 2. ad Bonif. cap. 3. *Literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii de hac re dubitatio tota sublata est*; & cap. 4. recensitis earundem literarum verbis exclamat: *Quid ista Sedis Apostolicæ sententiâ clariùs, atque manifestiùs? vide lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 8. & 9.* Cur enim imperitus censor sævitiam Innocentio exprobrat? quòd Pelagianos damnavit, quos ille fortè voluisset absolvere? Illos tantum uti morbidas oves à Catholicis caulis exclusit, at hoc Africanæ Synodi antea pegerant, quæ prima hæreticis poena decernitur. Ineruditum stylum carpit: ergone & Sanctus Antistes manum tuæ ferulæ subjiciet, quòd dictionis elegantiam vel invitus doceatur? In illis literis non sævus, sed pugna Innocentius exhibetur, plura enim, eaque solida argumenta exerit, queis Pelagianam hæresim proscindit; Potuerat quidem plura ex Sacris Scripturis testimonia educere, sed optimè meminerat, scribere se Synodis doctissimorum, ac sapientissimorum Patrum; hinc sunt ejus verba in Epistolâ ad Concilium Carthaginense: *Possim plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse*. Augustinus in Epistolâ 105. ad Paulinum Nolanum Innocentii literas hoc grandi elogio exornat: *Scriptimus etiam ad beatæ memoriæ Papæ Innocentium præter Conciliorum relationes literas familiares, ubi de ipsâ causâ aliquantò diutius egimus. At omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem*. Quibus verbis Erasmi iudicium inficitæ arguitur scribentis, in memoratis literis ingenium, & eruditorem tali dignam Præsule desiderari.

Interea mortuo Innocentio Pelagiani in Campania præcipuè securius pro sectâ loquebantur; Nolæ

enim nonnulli Pelagianos errores tantâ pertinaciâ defendebant, ut assererent, parvulos sine baptisimo decedentes damnari non posse, idque se aded constanter tenere affirmabant, ut vel Pelagium ipsum, si secus sentiret, se deserturos profiterentur. Paulinus illius urbis sacris præfectus erat, quem Augustinus ob singularem eruditionem, ac pietatem mirificè colebat, vicissim & ipse à Paulino dilectus, erat enim vetus utriusque amicitia ante annum 395. contracta ex Epistolâ 36. ad Romanianum; cum verò Sanctus Doctor probè sciret, quantum à Paulino Pelagius olim amaretur, idque etiam ex Epistolâ ab anno 405. ad Paulinum à Pelagio scriptâ pateret, quæ teste ipso Hæresiarchâ apud Augustinum cap. 35. de Gratiâ Christi trecentis fortè versibus constabat, timuit, ne Pelagius homini fucum faceret, quare prolixam satis Epistolam ad Paulinum perscripsit, quâ certiorum eundem fecit eorum, quæ tum in Africâ per Synodos Carthagine, & Milevi habitas, tum Romæ per literas ab Innocentio gesta fuerant, quorum omnium exempla etiam ad ipsum quòd plenius instrueretur, transmisit, scribens insuper duodecim præsertim errores in Synodo Palæstinâ Pelagio objectos fuisse, quos ibi recenset, atque: *Hæc omnia Pelagius sic anthematizavit, quod satis gesta ipsa testantur, ut nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis attulerit*; ibidem etiam disputat de electorum prædestinatione, ac reprobatorum damnatione tantâ quidem dicendi copiâ, tantâque argumentorum subtilitate, ut nusquam fortè meliùs; Hinc factum est, ut Semipelagiani, qui gratiam Augustini prædestinationem respuebant, hanc quoque ad Paulinum Epistolam improbarent ex lib. de Dono persév. cap. 21. Has autem literas exaratas post Innocentii mortem compertum est, nam ibidem beatæ memoriæ Innocentium appellat; concludens Epistolam ait: *Quæ autem, & de quibus audierimus, quæ multum dolemus, & facile credere volumus, audiet à communi amico sanctitas tua*: Quibus suspicor Julianum in Campania Episcopum communem amicum, ac Paulino vicinum Pelagianis jam publicè faventem designari.

CAPUT XII.

Pelagiani Zosimo Papæ imponere conantur. De Erote, & Lazaro Pelagii accusatoribus nulla adnotantur, ac Fl. Dextri Chronicon redarguitur.

Sed ad Pelagium in Oriente degentem redendum est. Eorum quæ apud Africam in Synodo utrâque gesta, & postea Romæ à Sancto Innocentio Apostolicâ auctoritate firmata fuerant, famâ in Asiam delatâ, Pelagius, ac Cælestius, quòd rebus suis consulere, statim Pontificem ad eundem sibi esse decreverunt, itaque è revivum est, Pelagium literis, Cælestium coram Romæ causam dicere; Scripsit enim Innocentius Epist. 96. apud Augustinum de Pelagio: *Potest enim damnare, quæ senserat, ac datis literis erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare*. Quare Pelagius literas ad Innocentium dedit, quibus injustè se infamari quæstus, Erotem, ac Lazarum uti publicos calumniatores accusabat, quorum falsis delationibus præsens quidem in Palæstinâ accusatus, sed plenè suffragiis à iudicibus absolutus fuerat; Ea verò, quæ in Africa contra se gesta fuerant, iidem

dem accusatoribus impellentibus sine consulatione, ac præcipiti deliberatione decreta affirmabat; Quò verò facilius Romano Pontifici ea persuaderet, libellum suæ fidei, quem symbolum dixit, ad eundem transmisit, in quo, ut ait Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 32. ea, de quibus non interrogabatur, pluribus profecutus, ab unitate Trinitatis usque ad resurrectionem carnis latè suam fidem deduxit, illa autem, quæ præcipue ab eo petebantur, paucis, illisque ambiguis verbis inclusit, nempe: *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus asserimus esse celebrandum.* De libero verò arbitrio hæc posuit: *Liberum sic constemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Ioviniano asserunt, hominem non posse peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem.* Nos verò dicimus, hominem semper & peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi conspiciamur esse arbitrii. Hocce Symbolum inter opera D. Hieronymi diù circumlatum est, sed esse Pelagii patet ex Sancto Augustino in lib. de Gratia Christi cap. 32. & 33. quibus in locis adductis proximè hæretici sententias excutiens ambiguitatis plenas esse demonstrat. Nonnulla etiam fragmenta literarum Pelagii lege ibidem cap. 30. & 31. & sequentibus, in quibus Pelagius ex libris abs se editis, quos recenset, divinam semper gratiam semet asseruisse comprobare conatus est. Praylus Episcopus Hierosolymitanus, qui in demortui Joannis locum sussectus fuerat, commendatitias pro Pelagii causâ literas Romam unâ cum Pelagii ejusdem libello transmisit, nam Zosimus de Praylo scribit ad Africanos Epist. 4. *Causâ Pelagii enixius ad stipulator intervenit.* Putat Baronius, Palladium Episcopum Helenopolitanum Origenistam celeberrimum, ac Pelagii hæresi, quâ apathiam docet, infectum Romam cum illis literis venisse, ut Pelagii causâ apud Pontificem patrocinaretur.

Cœlestius Innocentii morte intellectâ Romam illic advolaverat, optimè enim sciebat, fieri non posse, ut Innocentius palinodiam caneret, quasi nimis præcipitem Afrorum Patrum relationibus adversus Pelagium, ejusque asseclas fidem accommodasset; Itaque veteres ille amicos adiit, præcipue verò Sixtum Presbyterum, quem ex Augustino Epist. 104. Pelagiani magnum suarum partium patronum jactabant, & de cujus amicitia plurimum efferebantur obtestatus, se festinato judicio inauditos, indefensos tum in Africâ, tum in Urbe esse damnatos; Catholicam se doctrinam docere, nec latum quidem unguem ab illâ discedere. Julianus testatur, se duas ad Zosimum literas dedisse, quas hoc tempore scriptas credibile est, Pelagianis nervis omnibus pro obtinendâ absolutione adnitentibus. Contextuit Cœlestius suæ fidei libellum, quem Zosimo causam cognoscenti exhiberet, de quo hæc scribit Augustinus lib. de Pec. Orig. cap. 23. *Item in libello, quem Romæ dedit, cum fidem suam à Trinitate unius Deitatis usque ad resurrectionem, qualis futura est mortuorum, de quibus cum nullus interrogaverat, & undè illi nulla quæstio movebatur, quantum dicere libuit, explicasset &c.* Hac prorsus etiam ratione, Pelagium libellum fidei, quem symbolum vocavit, concinnasse proximè diximus. Pontifex in Basilicâ Sancti Clementis Cœlestium in judicium vocavit, qui Pelagianis omnibus dolis instructus tribunali stetit. In primis verò libellum obrulit, in cujus exordio causam his verbis præmuni-

vit. *Si fortè ut hominibus quispiam ignorantia error obrepserit, nostrâ sententiâ corrigatur:* Ex Augustino laudato cap. 6. *Quam prælocutionem venerabilis Papa Zosimus tenens egit cum homine, quem falsæ doctrine ventus inflaverat, ut ea, quæ illi à Diacono Paulino, nempe anno 412. Carthagine coram Aurelio, fuerant objecta, damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Præcessore manaverant, præberet assensum; at ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Beati Papæ Innocentii literis non est ausus obistere, immò se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit:* Ibidem cap. 7. Et quidem Pontifex hac interrogatione Cœlestium strinxit: *illa omnia dannas, quæ jactata sunt de nomine tuo? Cui ille: Damno secundum sententiam beatæ memoriæ Præcessoris tui Innocentii:* Idem lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. Baronius, uti diximus, scribit, objectas esse Cœlestio literas Innocentii ad universam Ecclesiam missas, quas post datas ad Africanos ab Innocentio compositas arbitratur, sed hoc superius rejectum est, & ex ipsâ interrogatione Zosimi in libello Paulini apertè refellitur, liquidè Pontifex inquit: *Cognovisti quales literas dederit Sedes Apostolica ad Fratres, & Coepiscopos Africane provinciæ? nec aliarum literarum ibi mentio ulla sit.* Porro Cœlestium in libello suæ fidei apertè negavit peccatum originis, nam hæc in illo sententia apud August. lib. de Pec. Orig. cap. 6. continebatur. *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico sensu alienum est, quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exereptur ab homine, quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur.* Ex quibus sanè mirum alicui videbitur, Cœlestium non statim tanquam hæreticum condemnatum, cum apertè illa hæresis damnata fuisset eodem anno à Sancto Innocentio, libellum enim illum lectum in judicio ipse Zosimus testatur in Epistolâ ad Aurelium & Collegas, quem tamen Catholicum putavit. Hujus autem rationem ipsius Augustini verbis expono. *Cum hoc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigetur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est; & propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quam veritas exigat, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respicere.* Hoc in illo factum esse putabatur, quando se literis beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit: lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. Zosimus Cœlestium adeo promptam Innocentii literis obedientiam, atque assensum profitentem haud damnandum judicavit, sed ne illum absolvendum statim duceret, judicium utriusque Synodi Carthaginensis, & Milevitane remorabatur, quare eundem anathemati Carthagine ante quinquennium in ipsum lato non exemit, sed gesta omnia in illo judicio ad Africanos per Basilicum cum literis transmisit, in quibus acriter invecus est in Eremem, & Lazarum, tanquam turbarum præsentium auctores; quòd verò ad causam spectat, hæc scripsit: *Unde in præsentî causâ nihil præcox, innovaturumque censuimus, sed innotescere Sanctitati vestræ super absolutâ Cœlestii fide nostrum examen, cui etiam prior libellus ab eo intrâ Africam testimonio apud nos esse debuisset, ne inexploratis, famâque jactantibus tam facillè crederetur.* Quare intrâ secundum mensem aut veniens, qui præsentem redar-

quæ, aliter sentire; quàm libellis, & confessione contextit, aut nihil post hac tam aperta, & manifesta, quæ protulit, dubii Sanctitas vestra reledisse cognoscat. *Date. . . Honorio XI. & Flau. Constan. Cof.* Ex quibus accusatores intra unum, & alterum mensem Romam evocatos vides, quod etiam de se testatum reliquit Paulinus Diaconus in libello ad Zosimum, quem recitat Baronius anno sequenti.

Paulo post supervenere literæ Pelagii, qui cum callidius hæresim Catholicæ doctrinæ fucis obduxisset, Zosimum magis Pelagianis propitium fecit, longeq; eorumdem hostibus acerbiorum; etenim Pontifex novis literis Aurelium, ac ceteros Africanos Patres durius increpuit, dolens Pelagii, ac Cælestii vices, qui cum Catholica saperent, hæreses damnati fuissent; Romæ verò literas Pelagii, ejusque libellum, tum Epistolam Prayli Hierosolymitani pro Pelagio publicè recitandas jussit, de quibus hæc inter alia ad Aurelium, ac Collegas scripsit: *Literas quoque suas idem Pelagius purgationem continentibus abundantissimè misit, quibus & professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidve damnetur, sine aliquo furo, ut cessarent totius interpretationis infidia, cumularit. Harum recitatio publica fuit, omnia quidem paria, & eodem sensu, sententiisque formata, quæ Cælestius ante protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi Fratres, recitationi literarum interesse potuisset! Quod Sanctorum virorum, qui adevant, gaudium fuit? quæ admiratio singulorum? Vix fletu quidam se, & lacrymis temperabant. Tales etiam absolute fidei infamari potuisse? Estne ullus locus, in quo Dei gratia, vel adiutorium prætermisum sit? &c.* Postea verò vehementius Pelagii accusatores increpans hæc addit. *Mirum est, si isti Laicum Virum ad bonam frugem longè ergà Deum servitute nitentem falsis literis percellere voluerunt, qui in fratres, & Coepiscopos tanta machinatio sunt, qui tot tempestates Ecclesiæ reddiderunt. Non decet Episcopalem auctoritatem, & præcipuè prudentiam vestram ad levium susurrorum scripta pendere; Ecce Pelagius, Cælestiusque Apostolicæ Sedi in literis suis, & confessionibus suis præsto sunt; Ubi Eros? Ubi Lazarus? Erubescenda facta, & damnationibus nomina. Ubi illi adolescentes Timasius, & Jacobus, qui scripta quadam, ut asserebatur. . . Vos conijcite, si qui talia in Sede Apostolicâ profitentur, illa, quæ de iisdem à pravis, ac levibus auctoribus, ac dubio rumore factata sunt, oportet ac credi. Hæc Zosimus; Ex quibus Pelagianorum doli, quibus Summum Pontificem circumvenerat, suis coloribus exprimuntur. Ex his postea literis, quæ Pelagianæ hæresis auctores tantoperè commendabant, istis postea à Zosimo damnatis, Julianus cum suis Sedem Apostolicam crimine prævaricationis aspergebat, de quibus inferius dicemus. Augustinus verò pro Zosimo hæc reposuit lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. *Quenam tandem Epistola veneranda memoriæ Papa Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præcepit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit, & in fine: Profecit quidquid interea lenius actum est cum Cælestio, servatâ duntaxat antiquissima, & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio existiosissima prævaricationis. Et quod ab eodem sacerdote postea Cælestius, & Pelagius repetitâ auctoritate damnati sunt, paululum intermissa jam necessariò proferenda ratio severitatis fuit, non prævaricatio prius coita, vel nova cognitio veritatis. Nulla pro Zosimo solidior Apologia procedi potest. Literæ illæ Zosimi datæ sunt hoc anno 417. XI. Kal.**

Octobris; credo verò, Carthagine acceptas IV. Nonas Novembris, nam eo die per Basilicum Subdiaconum Paulinus se intellexisse scribit Pontificis mandata, quibus Romam evocabatur.

Cum in recitatis Zosimi literis Eros, ac Lazarus adedè severe perstringantur, iidemque fuerint, qui & coram in Palestinâ contra Pelagium, ac Cælestium Synodum Diöspolitanam per Eulogium Metropolitam indicendam curaverint, & postea per literas universam in utrumque Africanam Ecclesiam concitarint, opera pretium duxi, nonnulla hæc de eisdem inferere. Eros Sancti Martini Turonensis Episcopi discipulus fuit, Lazarus etiam Turonensis Ecclesiæ presbyterum fuisse ex eo arbitrator, quod in Taurinensi Synodo Britium Turonensem Episcopum plurium criminum reum detulit. Eros Arelatensem, Lazarus Aquensem Ecclesiam Clero, ac populo contradicente invasere, Zosimus enim hæc de utroque ad Africanos scribit: *Patuit, hos inobservatis ordinationibus, plebe, cleroque contradicente ignotos, alienigenas intrâ Gallias sacerdotia vendicasse. Augustinus initio libri de Gestis Pelagii ait: Sancti fratres, & Coepiscopi nostri Galli Eros, & Lazarus, eosdemque Gallos Episcopos vocavit Pelagius apud Augustinum Epist. 252. Lazarus quidem in Taurinensi Concilio à Proculo uti falsorum criminum delator rejectus fuerat, à quo tamen post multos annos, inquit idem Zosimus Epistolâ quartâ, Sacerdos tyrannici iudicii defensor civitatis Aquensium, &c. Stetitque in eo balteus umbra sacerdotii, donec tyranno imago staret imperii, quo loco post interuentionem Patroni spontè se exiit, & propria confessione damnavit. Constantinus imperium in Gallias invaserat, quem Lazari patronum Zosimus vocat, at ille post irrimium intrâ tyrannidis ab Honorii duce Constantio intrâ Gallias occiditur, ejusdem capite in conto Ravennam delato XIV. Kalend. Octobris Theodosio Augusto IV. Cof. Hæc testatur Idatius in Chronico, & in Fastis; Quare Lazarus anno 411. spontè Aquensis Ecclesiæ regimine se abdicavit, ne quid gravius eo Tyranni amicitiam contra se ab Honorio flatteretur. Paulo post etiam Eros populari tumultu ex Arelatensi sede dejecit, Patroclo ad eandem evectò; Prosper in Chronico ad consulatum Honorii IX. & Theodosii V. anno 412. ait: *Eodem tempore Eros vir sanctus, & Beati Martini discipulus, cum Arelatensi oppido Episcopus præsidere, à populo ipsius Civitatis insons, & nullis insimulationibus obnoxius pulsus est, inque ejus locum Patroclus ordinatur amicus, & familiaris Constantii Magistrum militum, cuius per ipsum gratia quærebatur, eaque res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit. Baronius ad annum 412. addit: Constantius, dum adversus Sanctos Episcopos aggressus est inire certamen, expertus est pariter Deum ad postremum suis conatibus adversarium. Idem etiam ad annum 417. pag. 402. *De Lazaro, inquit, remansit obscura memoria, sed ex errore Lazarus discere, quos enim calumniâ par involvit, eandem decorasse æqualem virtutem putandum, &c. Quæ quidem mihi non probantur, cum non Constantii jussu, sed populari tumultu Eros Arelate ejectus fuerit, quod populi factum, Apostolicam etiam Sedem ratum habuisse ex Zosimi laudatâ Epistolâ colligitur: Patuit hos, inquit, inobservatis ordinationibus plebe, cleroque contradicente ignotos, alienigenas intrâ Gallias sacerdotia vendicasse: quibus se ipsi propria abdicavere sententiâ,***

no/que

nosque licet & alia; tum eorum de se pœnitentiam se-
curei Sacerdotali eos loco, & omni communione submo-
vimus. Constantinus Arelate inclusus, cum diu-
tius obsidionem tolerare non posset, depositâ purpurâ
ad Erotem confugit, à quo & Presbyter statim ordi-
natus est ex Sozomeno lib. 9. cap. 15. hinc ob ty-
rannum sacro honore decoratum Eros Arelatensium
odium sibi contraxit. Sed neque Constantius post
Erotis depositionem quicquam mali ultore Numine
passus est; imò ob egregie contrâ Tyrannos nava-
tam operam Placidiam Honorii forem in uxorem
obtinuit, ac quinquennio elapso in imperii consortio
assumptus fuit, ut cap. 19. dicemus. At Eros, &
Lazarus, cum Apostolicæ Sedis iudicio se se depo-
sitos cernerent, in longinqua ad insignium Orbis
Catholici Episcoporum suffragia corroganda perre-
xere, uti olim Chrysostomus fecerat, qui è Con-
stantinopolitanâ cathedrâ per vim eiectus Occiden-
tis Metropolitanum suffragia per literas petiit; Zo-
simus tamen utriusque Episcopi conatus increpans
ait: *Ubi de Episcopatu abdicando agitur; maria, ter-
raque lustrantur, nec ulla suffragia prætermittunt &c.*
Athanasius, Chrysostomus, & alique plurimi ab
Episcopatu depositi Apostolicæ Sedis, ac primos
Occidentis Metropolitanas in subsidium contrâ ad-
versantes Episcopos implorarunt, at à Pontificis Ro-
mani decreto ad alios Antislites appellare non licuit.
Interim Eros, ac Lazarus pro recuperandâ digni-
tate in Orientem profecti Pelagium apud Eulo-
gium Palestinæ Metropolitanum hæreses accusa-
runt, quo ibidem per dolum absoluto causam ite-
rum ex integro cognoscendam Africanis Patribus
per literas detulerunt, de quibus cap. 8. plura dixi-
mus. Anno 417. Lazarus in Gallias redierat,
ac Proculo Massiliensi adhærebat, etenim cum hic
Patrocli Arelatensis iura invalisset, atque Ursium,
& Tuentium Episcopos consecrasset, Lazarus unus
è tribus Episcopis fuit, qui ex antiquo Ecclesiæ
ritu ad Episcopi consecrationem peragendam requi-
runtur, quæ ubi Zosimus Papa accepit, datis ad
Africa, Gallia, & Hispania Antislites literis Pro-
culum graviter increpuit, non modò quòd alienæ
diocesis Episcopos consecrasset, verùm etiam quòd
fuerit *Lazarus in consortio illicitæ ordinationis adse-
tus*, quem ibidem uti multorum criminum reum
ab Aquis Sede expulsum testatur; Hæ Zosimi li-
teræ datæ sunt Honorio XI. & Constantio II. Conf.
Ex his patet Chronicorum Fl. Dextri impostura,
ibi enim ad annum 400. Eros Derthosanus, Laza-
rus Vicensis in Hispania Episcopi affirmantur; Ete-
nim uterque in Gallis Episcopus fuit, & Lazarus à
Proculo Massiliensi post annum 400. est consecratus,
nam post multos annos à celebratâ Synodo Tauri-
neasi, quam anno 397. Baronius peractam scribit,
eundem Aquensi Ecclesiæ præpositum laudatus Zo-
simus affirmavit. Bivarius Dextri commentator scri-
bit, utrumque ex Aquitania eiectum novas in His-
pania Sedes obtinuisse, ac constare ex literis Synodi
Carthaginensis ad Innocentium, Erotem, ac Laza-
rum fuisse in Hispania Episcopos. Sed neuter in
Aquitania Episcopus fuit, vivebatque adhuc in
Gallis Lazarus anno 417. Illos verò postea in His-
paniam fecisse, gratis dicitur, neque id in lauda-
tis literis Synodalibus legitur, in quibus nuda tan-
tum Erotis, ac Lazari nomina recitantur; consulta-
tur Epistola 90. inter Augustinianas. Hæc de duo-
bus illis Pelagii accusatoribus in veterum monumen-
tis invenire potuimus.

*Pelagianorum dolis per Africanos Patres detectis
Zosimus illos damnat. Synodi Africanæ cano-
nes contrâ eosdem recitantur. Honorius Impe-
rator Pelagium, ac Cælestium proscribit. Præ-
fecti Prætorio edicti promulgatores ex Codice
Theodosiano probantur, ac Salmasii de eisdem
error castigatur.*

Africanæ Præsules Zosimi literis acceptis gravi-
ter conquesti sunt, post Sancti Innocentii senten-
tiam iterum Romæ Pelagii, ac Cælestii causam re-
tractari, statimque per literas cum Zosimo egere, ne
quidquam antè Synodi Africanæ relationem de utro-
que decerneret; indicitur autem plenarium Conci-
lium totius Africæ Carthagine. Romæ verò Pelagi-
ani graves turbas dabant; credo equidem, nonnul-
los Episcopos illi sectæ adhærentes Romam advolasse,
quò Pontificis animum in conceptâ semel ergà Pe-
lagii causam propensione retinerent, nam anno 419.
plures Episcopi pro Pelagio cum Juliano literas sub-
scripsere, ut dicemus. Eorum tamen conatibus
Constantius vir clarissimus, ac vicariâ præfecturâ in
Urbe perfunctus obviam ivit pro gratiâ Dei, adver-
sus subdolos Pelagianorum conatus defendendâ labo-
rans, undè *fallione eorundem*, de verba Prosperi in
Chronico ad annum 418. *multa mala perculit, quæ il-
lum Sanctis confessoribus sociarunt*; ejus memoria re-
colitur in Romano Martyrologio 30. Novembris.
Palladius in Lausiaca historiâ laudatis, qui Romæ vi-
vebant, Macario, ac Pammachio, ait cap. 124.
*Constantinus quoque Aßessor Præfectorum Italia, insignes
viri, & eruditissimi, qui pervenerunt ad summum pie-
tatis, & religionis.* Baronius anno 418. num. 1. pu-
tat, Romæ iterum causam Pelagianorum recognitam
fuisse eodem tempore, quo in Africa pariter retra-
ctabatur, addens anno sequenti 418. Cælestium li-
bellum fidei exhibuisse, de quo plura ex Sancto Au-
gustino ibidem recitat. Sed hæc facillè rejiciuntur,
nam libellus Cælestii hoc anno 417. publicè coràm
Zosimo recitatus fuit in Basilicâ Sancti Clementis; au-
diatur Zosimus in Epistolâ ad Aurelium datâ Hono-
rio XI. & Flavio Constantio iterum Conf. hoc nem-
pè anno 417. *Intromisso*, inquit, *Cælestio libellum
ejus, quem dederat, fecimus recitari*, quod etiam re-
petit in literis ad eundem datis XI. Kal. Octobris,
quæ literæ Carthaginem, uti ex Paulino diximus
advenerunt IV. Nonas Novembris, statimque Aure-
lius rescripsit, ne quid innovaretur antè Africanæ
Synodi relationem; At Zosimus prioribus ex Africa
literis acceptis nihil eâ in causâ insuper se egisse tes-
tatus est in Epistolâ datâ 21. Martii anno sequenti
ad Aurelium his verbis: *Idcirco noverit vestra frater-
nitas, nihil nos post illas, quas superius vel literas ves-
tras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reli-
quisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris li-
teris vestra indicavimus Sanctitati, ut illa, quæ a vo-
bis ad nos missa erat, obestatio remaneret.* Quot ve-
rò literæ ultrò, citròque inter Afros, & Zosimum
id temporis volitarint, liquet ex Augustino lib. 2.
ad Bonif. cap. 3. *Tot enim*, inquit, *& tantis inter
Apostolicam Sedem, & Apros Episcopos currentibus,
& recurrentibus scriptis Ecclesiasticis &c.* Quod au-
tem ait Baronius, Cælestium se se subtrahentem
examine coactum fuisse publicè interroganti Zosimo
respondere, planè ad iudicium anno præsentem perac-

etum pertinet, in quo, eundem à Zosimo interrogatum ex Augustino, & Paulino diximus, nam cum anno 418. post allatas Romam Africanorum literas examini se subduxisset, (videbat enim dolos, ac fraudes nudatas) statim sententia in illum, ac iocios publicata fuit, nec ad aliud iudicium tractus est; hoc ex Augustino patet, qui cum dixisset, allatas fuisse Romam Africanorum literas, quibus Pelagianorum præstigiâ Zosimo detegebantur, hæc addit: *Tunc ergo, cum ejus præsentia posceretur, ut certis, ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit, & negavit examini. Nec differendum iam fuerat, sicut factum est, quod aliis prodesset, si nimium perversorum pertinaciâ, dementi æque non posset lib. 2. ad Bonif. cap. 3. ex quibus nullum postea iudicium eâ in causâ habitum fuisse monstratur.*

Anno 418. Inierant consulatum Augusti Honorius XII. & Theodosius VIII. qui fuit annus 418. quo Pelagianæ hæresis in toto Orbe Catholico tum sacris Pontificis decretis, tum Imperatorum sanctionibus damnata fuit, sed Africani Patres, & præsertim Augustinus, ea fulmina proceuderunt, quæ à Romano Præsule validiori brachio ejaculata, novorum Gigantum superbiam dejecere. Ineunte anno Africani Episcopi Carthaginensem confluxere, omnibusque iterum in Pelagii, ac Cœlestii causâ quam diligentissimè retractatis, Innocentii adversus Pelagianos decreto standum esse plenis suffragiis censuere, ac statim per Marcelinum Subdiaconum gesta Synodalia Romam ad Zosimum misere. Pontifex, cum ex Africanorum Patrum literis de cute, & intus, ut ajunt, Pelagianam hæresim cognovisset, diem Cœlestio dixit, qui, quod se detectum, convictumque per Africanos sciebat, examini se subtraxit, ut ex Augustino mox dicebamus. Quare cum eâ fugâ reum se, ac pervicacem citrà ambages ostendisset, Zosimus haud ulterius morandum ratus, Pelagium, ac Cœlestium hæreticos, eorumque doctrinam Orthodoxo dogmati contrariam latâ sententiâ pronunciavit, ac datis ad universos Orbis Episcopos literis infamem hæresim ubique gentium proscripsit. Hæc sanè Epistola non extat, sed illius meminit Augustinus Epist. 47. ad Valentinum, recitatque ejusdem fragmentum Epist. 157. ad Optatum; Literæ quoque Concilii Africani interiере, earum tamen summarium legimus apud Augustinum lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. ubi ait: *Quæ Romam litera posteaquam venerunt id continentis, non sufficere hominibus tardioribus, & sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat, ne, si id non fecisset, multi parùm intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolicâ crederent approbata, propterea quod ab illâ dictum erat, eum libellum esse Catholicum, quam emendata propter illud, quod se Papæ Innocentii literis consentire ipse responderat. Porro libellum Cœlestii esse Catholicum dixerat Zosimus in Epistola ad Aurelium, & Collegas, undè immeritò Joannes Latus lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 4. Zosimi Epistolas uti suppositas rejicit, nihil enim in illis legitur, quod in Sancti Augustini voluminibus non contineatur; hinc Facundus Hermianensis, qui altero sæculo vixit lib. 7. cap. 3. ait: *Invenient postremò Beatum quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem contra Sancti Innocentii Decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicitis Cœlestii, quem in Ecclesiâ Carthaginensi convi-**

etum, atque appellanem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat, tanquam veram, & Catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum necdum ipsis Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestius detegentibus, memoratos Pelagium, & Cœlestium putaret Orthodoxos: Hæc ille.

Sixtus magni inter Romanos sacerdotes nominis, quem suarum partium patronum Pelagiani jactabant, quò tantam à se procul infamiâ notam insigni quodam facto repelleret, primus in Pelagium, ac Cœlestium coram frequentissimo populo anathema pronunciavit, cujus rei missis per Leonem in Africam literis Aurelium certiore fecit, quæ quidem literæ passim ab Africanis teste Augustino Epist. 104. ad eundem Sixtum descriptæ sunt, passim omnibus lectæ. *Quid enim, inquit Sanctus Doctor, gratius legi, vel audiri potest, quam gratiæ Dei tam pulchra defensio adversus inimicos ejus ex ore ejus, qui eorundem inimicorum magni momenti patronus antè jactabatur?* Idem Sixtus ad Augustinum etiam, itemque ad Alipium de eodem argumento perscripsit. Peractæ Romæ Pelagianorum damnationis nuncio in Africam delato, paulò post etiam Zosimi literæ ad Patres Africanos eâ de re pervenere, quas laudatæ Sixti etiam Epistolæ consecutæ sunt ex Epist. 105. ad Sixtum initio; acceptæ verò dicuntur Apostolicæ literæ Tertio Kal. Majas, at Patres ipsis Kalendis Maii in secretario Basilicæ Fausti Pelagianam hæresim condemnarunt. Adfuere eo in Senatu Episcopi ex universâ Africa CCXIV. ut scribit Prosper contra Collatorem cap. 10. *Erraverunt, inquit, ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem beatum Zosimum sunt allocuti.* Quòd si in chronico ejusdem Prosperi hujus Synodi Patres numerentur CCXVII. Amanuensium error fuit, qui duas priores unitates in inferiore parte junxerunt, ac ex IV. reddidere VII.

Laudat hanc Synodum Photius Cod. LIII. sed ejusdem textus nobis planè restituendus est; dicuntur ibidem prædesse in eâ Synodo *Ἀρχιεπίσκοπος Ἀυρελίου ἐπίσκοπος, & Δοριανὸς πρεσβύτερος ἐπίσκοπος τῆς πρώτης ἐπαρχίας Βυζαντινῆς ἐπαρχίας.* Aurelius Episcopus, & Dorianus Præses primæ Sedis Byzacænæ Provinciæ. Sed ex codice antiquissimo Gandavensi apud Monasterium Sancti Bavonis Photii lectio corrigenda est, ibi enim legitur; *Honorio Augusto XII. consule Kal. Maii in Basilicâ Fausti, cum Aurelius Episcopus simul cum Donatiano Teleptensi primæ Sedis Episcopo Provinciæ Byzacænæ &c.* Hoc fragmentum habetur Tom. 1. Concil. editionis Colonienfis apud Quintelum anno 1551. Erat Donatianus Episcopus Teleptis in Byzacænâ Provinciâ, & in Actis Collationis Carthaginensis cap. 123. dicitur: *Donatianus Episcopus Ecclesiæ Teleptensis, contra quem Bellicius Donatista stabat;* In Synodo Sancti Cypriani nominatur ab Augustino lib. 7. de Baptismo cap. 21. inter alios Episcopos *Julianus à Telepte.* Binius in notis ad Synodum, ut putat, Teleptensem celebratam ab eodem Donatiano anno 418. VI. Kal. Martias, antequam Carthaginem ad Synodum plenariam veniret, scribit, Teleptem fuisse Metropolim provinciæ Byzacænæ, quòd itidem legitur in scholiis Conciliorum editionis regiæ Tomo 4. pag. 421. ubi Teleptis dicitur *Metropolis, & prima Sedes Provinciæ Byzacænæ;* Sed, aliam apud Afros fuisse Metropolim à primâ Sede ex professo probabimus lib. 2. cap. 7. Nam Ecclesia, quam regebat senior provinciæ Episc-

eiz Episcopus, dicebatur prima Sedes, quæ quandoque erat in viliori provinciæ Oppido; Adrumetum autem erat civilis Metropolis Byzatii sedes Consularis quod cap. 23. ostendimus. Antè Donatianum primatus Byzacenarum Ecclesiarum penès Mizonium erat, quod ex Synodis Africanis cap. 10. monstravimus: hinc cap. 61. Codicis Conciliorum Africæ ad *Mizonium legati* uti ad Primatem destinantur; Videtur autem Mizonius fuisse Episcopus Tzellenfis; nam in Collat. 1. Carthagin. cap. 163. hæc recitantur: *Natalicus Episcopus Tzellenfis, & cum recitasset, idem dixit, mandari, & subscripsi.* Statim verò Maximinus Episcopus Catholicus dixit: *Dicæcesis est Mizoni Episcopi. Presbyteros habet, & abundantem populum, quam ipse.* Verùm cap. 135. ejusdem collationis hæc scribuntur: *Donatianus Episcopus plebis Zellenfis præsentè V.C. Tribuno, & Notario Marcellino superius mandari, & subscripsi: E diverso habeo Natalicum. Et accedente Natalico Episcopo, idem dixit: Agnosco illum.* Quare Natalicus fuit Episcopus Zellenfis Donatista, Catholicus Episcopo Donatiano ibidem sedente. Cur autem Maximinus dixerit, in Natalici Dicæcesi sedisse Mizonium Episcopum, quod à nemine negatum fuit, ex eo arbitror, quia in unâ Dicæcesi spectante ad unicum Episcopum Donatistam sedebant plures Episcopi Catholici, quòd his visum fuerat, amplas Dicæceses dividere, ac plures inibi Cathedras erigere. Etenim in Dicæcesi Milevitana ex parte Donatistarum unus aderat Episcopus Adeodatus, at Catholici Antistites in totâ eâ Dicæcesi tres numerabantur, Severus Monachus olim Augustinianus, qui Milevi sedebat, & duo alii, quorum unus in Tuncensi oppido, alter Ceramussæ residebat, ut colligitur ex cap. 65. collat. 1. Carthaginensis. Constantinâ sacrís ex parte Donati unus præerat Petilianus; at apud Catholicos Fortunatus, & Delphinus Episcopi eandem Dicæcesim divisam moderabantur. Et ex cap. 117. ejusdem collationis in Dicæcesi Januarii Casensis Primatis Donatistarum in Numidiâ quatuor Episcopi Catholici numerabantur. Itaque in Natalici Donatistâ Dicæcesi Donatianus, & Mizonius Episcopi Catholici residebant. Ut verò certum est, Donatianum sedisse Zellæ, ita incertum est, in quonam ejusdem Dicæcesis oppido Mizonius sedem haberet. Non tamen dici possunt duo eodem tempore Natalici fuisse, quorum unus Tzellæ contra Mizonium, alter verò Zellæ contra Donatianum federet; nam à cap. 157. iterùm omnium Donatistarum Episcoporum nomina recensentur, & unus tantùm cap. 163. inter eosdem Natalicus & hic quidè Tzellenfis nominatur. At Tzellam dictam fuisse etiam Thelam, patet ex Augustino Conc. 2. in Psal. 36. ubi inter Donatistas nominatur idem *Natalicus Thelensis*. Fortè apud Afros uti à Græcis θ, seu t, & h, pronunciantur, ac si essent t, & z. Ex his tamen habemus, errasse Chiffletium in notis ad can. Ferrandi pag. 279. dum Thelam, seu Tzellam cum Usulâ Antonini, seu *Ostina* Ptolomæi confundit, nam apud Augustinum laudatum nominantur in Synodo Donatistarum *Natalicus Thelensis, & Theodorus Usulensis*. Et in collat. Carthag. cap. 125. sedebat Usulâ Privatus Antistes Catholicus, qui ibidem dixit: *Non contra me habeo Episcopum nempè Donatistam.* Igitur Natalicus Donatista non fuit Usulâ Episcopus, ac proindè Usulâ à Thelâ, seu Tzellâ distinguenda est. In hac verò urbe Donatianus hoc anno Synodum celebrarat, quæ in antiquis Codicibus cum Telenfis dicebatur, collectores Conciliorum

Donatianum item Telensem Episcopum scripsere; At Baronius ad annum 418. cum videret Donatianum Teleptensem Episcopum, Synodum quoque Teleptensem nominavit, eumque secuti sunt Binius, aliique passim. Sed ex Ferrando Diacono Carthaginensi error corrigendus venit, qui canones ex Siricii Epistolâ in Synodo Donatiani recitatos, attribuit Concilio Zellenfi, nam tit. VI. CXXX. & CXXXVIII. tribus canonibus recitatis ait: *Concilio Zellenfi ex Epistolâ Sirici Pape*, quæ quidè Epistola cum iisdem decretis lecta est in Synodo Donatiani Primatis, ut ex actis patet. *Zella, & Acholla liberae civitates* Africæ appellantur à Strabone lib. 17. eam verò urbem Zellam, vel Tzellam dictam fuisse eruditè notavit Holstenius in notis ad tabulas Ecclesiasticas Caroli à Sancto Paulo, ex quibus etiam tabulis corrigendus est Chiffletius, qui Zellam cum Usulâ confundit, diversa enim fuere Byzatii oppida, ut ibidem demonstratur; Sed de his satis. Cæterùm libet hic Lectorum oculis subjicere canones Africani Concilii, cujus, ut ait Prosper cap. 2. contra Ingratos, *Dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat*, veluti de Pelagianâ hæresi erectum trophæum.

Gloriosissimis Imp. Honorio XII. & Theodosio VIII. Consulibus Kalendis Maiis Carthagine in secretario Basilicæ Fausti, cum Aurelius Episcopus in universali Concilio confedisset adstantibus Dianis, placuit omnibus Episcopis, quorum nomina, & subscriptiones indictæ sunt in Sanctâ Synodo Carthaginensis Ecclesiæ constitutis.

I.

Ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II.

Item placuit, ut quicumque, parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidè peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, undè sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quem admodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.* Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum, *in domo Patris mei mansiones multe sunt*, ut intelligatur, quia in regno cælorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vitâ migrarunt, sine quo in regnum cælorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cælorum.* Quis Catholicus dubitet, participem fore Diaboli eum, qui cohaeres esse non meruit Christi? Qui enim dextrâ caret, sinistram procul dubio partem incurret.

III.

Item placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei,

Dei; quâ justificamur per Jesum Christum D. N. ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiã ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.

IV.

Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jesum Christum D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiã facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat *1. Cor. 8.* postolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat*, valde impium est, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominẽ scientiam*, ita etiã scriptum est: *Charitas ex Deo est.*

V.

Item placuit, ut quicumque dixerit, idẽ nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidẽ facile, sed tamen possimus etiã sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficile est potestis facere, sed *Jo. 15. 5* ait, *sine me nihil potestis facere.*

VI.

Item placuit, quod ait Sanctus Joannes Apostolus: *1. Jo. 1.* *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit; *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiã veraciter dici; poterat enim Apostolus dicere; Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait, *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*: satis ostendit, eum, qui dixerit, se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum,

VII.

Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione *Matth. 6.* *Dominicã idẽ dicere Sanctos: Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, & idẽ non dicere unumquemque Sanctorum, *Dimitte mihi debita mea*, sed *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius, quã pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim, & justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus omnes*; Nam quare additum est omnes? nisi ut ista sententia conveniret & psalmo, ubi legitur: *Non intres in iudicium cum servo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, & in Oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccet*; & in Libro Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*; Unde etiã Daniel Sanctus, & justus, cum in oratione plura-

liter diceret: *Peccavimus; iniquitatem fecimus & Daniel, cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, 9. ne putaretur (quemadmodum quidam sentiunt) hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: Cum orarem, & confiterer ibidem: peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo; Noluit dicere, peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua; quia futuros istos, qui tam malè intelligunt, tanquam propheta prævidit.*

VIII.

Item placuit, ut quicumque ipsa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, *Matth. 6.* ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentem? qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere?

Canon ille post secundum diverso caractere descriptus in vetustis codicibus reperitur, & eã ratione à Collectoribus Conciliorum insertus est, & sanè magnum auctoritatis pondus Photius illi addit, qui disertè illum ponit, ac canones novem contra Pelagianos eã in Synodo Carthagenensì statutos affirmat, Scriptorem verò illum usum optimis exemplaribus, usque antiquissimis nullus negabit; do illius verba ex Cod. LIII. ubi de laudato Concilio sermonem facit: *Dannat, inquit, hæc Synodus eos, qui asserunt, Adamum mortalem esse conditum, non autem prævaricationis causã morte multatum;* est primus canon. Addit: *Similiter & eos, qui recens natos infantes baptismi minime indigere dicunt, quod illos peccato originis ex Adamo non putarent obnoxios;* hic canon est secundo loco positus; tertium his designat: *Eos quoque, qui assererent medio quodam loco Paradisum inter, & Inferos non baptizatos infantes beatè vivere; Sex item alia his assini capita, quæ à Pelagianis, & Cælestianis traduntur, anathemate Patres jugulant.* Quare novem auctore Photio eã in Synodo canones contra Pelagianos decreti sunt. Huc facit, quod scribit Sanctus Augustinus lib. 2. de Orig. animæ cap. 12. *Novellos, inquit, hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum etiã præter regnum celorum.* Unde in hoc præsertim Concilio illa Pelagianorum opinio videtur damnata, & fortè si literæ Zosimi extarent, ibidem pariter rejecta legeretur. Verum intrusum illum canonem probare possum ex appendice ad literas Sancti Cælestini Papæ ad Episcopos Galliæ, quæ licet Cælestini non sit, ut alias demonstrabitur, est tamen antiquissimæ manus, quippe quæ adducitur à Petro Diacono in libro de Incarnatione, & gratiã cap. 8. Porro in cap. 10. dictæ appendicis initio hæc recitantur: *Illud etiã, quod intrã Carthagenensì Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est: Ut quicumque dixerit, gratiam Dei, quâ justificamur per Jesum Christum D. N. ad solam remissionem peccatorum valere &c. postea quartus, & quintus canones ibidem subnectuntur, eò modo, quo eosdem superius numeravimus, ut nullus canon contra beatitudinem naturalem puerorum ibidem locum habeat, qui tamen tertio loco ponitur in codice Photii. Hæc circã illum canonem ex antiquis Scriptoribus observavimus, de quibus alii judicent. Octo verò illi canones Pelagianam hæresim jugulant, quorum primi duo peccatum originale spectant, tres intermedium necessitatem gratiæ ad recidè, sanctèque operandum,*

totidemq

totidem postremi iustitiæ inhærentis imperfectionem continuâ, jugique Dei gratiâ confirmandam contra decantatam Pelagianorum, ac Stoicorum apathiam. Zosimus damnatis Pelagio, ac Cœlestio egit statim cum Honorio Imperatore, ut iidem imperiali auctoritate Romano Imperio pellerentur, quod statim piissimus Princeps executus, rescriptum dedit ad Palladium Præfectum Prætorio Italiæ, quod ex Atrebatensi Monasterio eduxit Henrici Gravii Doctoris Lovaniensis diligentia, & cum subscriptione emendatiùs è Thuanâ bibliothecâ exhibet Salmasius par. 2. de Eccles. Suburbic. cap. 1. pag. 288. Hoc verò Imperatoris edictum in hæc verba conceptum, ac publicatum fuit.

*Imperatores Honorius, & Theodosius Augusti
Palladio Præfecto Prætorii.*

Ad conturbandam Catholicæ simplicitatis lucem puro semper splendore radiantem dolosa artis ingenio novam subitò emicuisse versutiam pervulgatâ opinione cognovimus, quæ fallacis scientiæ obumbrata mendaciis, & furioso tantum debacchata luctamine, stabilem quietem Cœlestis conatur attrètare fidei, dum novi acuminis commendata vento, insignem notam plebeje astimat vilitatis, sentire cum cunctis, ac prudentiæ singularis palmam fore, communiter approbata destruere; Cujus impiæ commentationis auctores Pelagium, Cœlestiumque percerebuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuaque semper majestatis interminatione potenti omne ultra principium transeuntî tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut eum formandi mundi opificem curam summeret, qualitatemque hominis fruendi profundâ spiritus conceptione libraret, fundati muneris finem anteferet exordio, & mortem præmitteret nascituro; Non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed egisse ponitùs legem immutabilis constitutis; ad declinandum lethi exitialis incursum nihil professe abstinentiam delinquendi, cuius ita vis putaretur adstricta, ut non possit aboleri deiaceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inoprationis cœcitas irruisset, delapsum ad posteròs non fuisse, tantumque apud eum, quem male suadæ gratiæ infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse discriminis, cum evidens Catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitùs omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liqueat corrupisse mandatum: aliaque quàm plurima, quæ sermo respuit, lex refutat, quæ perexosum sit, recordari etiam sub dispositione plectendi, quæ maturato remedio, & celeritate festinâ oportet intercipi, ne corroborato usu nequitæ adolescentes vix valeant coerceri. Si quidem aures mansuetudinis nostræ recens fama perstrinxerat, intrâ sacratissimam Urbem, aliaque loca ita pestiferum virus quorundam inolevisse peccatoribus, ut interrupto directæ crudelitatis tramite, scissis in partes studiis asserendi, materia impacatæ dissensionis inducta sit, novoque scandali fomite concitato beatissimæ Ecclesiæ acta mutet, & attentata tranquillitas (aliis iter aliud ancipiti interpretatione sectantibus) & absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucidè, quod sequi universitas debeat, explanans, pro captu versipellis ingenii profanæ novorum auctorum moventibus questionem, Palladij parens carissime, atque aman-

tissime. Ob quam rem illustris auctoritas tua virtura in omne ævum, lege nos statuisse cognoscat, ut pulsus ex Urbe primitus capitibus dogmatis excrandi Cœlestio, atque Pelagio, si qua hujus de cœtero sacrilegii sectatores quibuscunque locis poterint reperiri, aut de pravitate damnatâ aliquem rursus proferre sermonem, à quocunque correpti ad competentem Judicem pertrahantur, quos si viderint clericus, si viderint laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliquâ perurgendi, quos relicta communis scientiæ luce novæ disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apostolicam scilicet disciplinam, Evangelicamque claram, & sine errore sententiam vestrâ rudis sectæ calliditate pugnantem, involventesque splendorem fidem veri ambagibus disserendo. Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam nefando scelere conferentes, à quibuscunque jubemus corripere, deductosque ad audientiam publicam promiscuè ab omnibus accusari, ita ut probationem convicti criminis stylus publicus insequatur, ipsi in exorati exilii deportatione danmatis; decet enim originem vitii à conventu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere, qui non solum factio nefario detestandi, verum etiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Juvat autem per omnem penè mundum, quâ imperium nostrum extenditur, hujusmodi promulgata diffundi, ne scientiæ fortasse dissimulatio partem præstet errori, atque impune se quisque putet audire, quod condemnatum vigore publico se se finxerit ignorare. Datum pridie Kalendas Majas Ravennæ DD. NN. Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. AA.

Exemplar edicti propositi à Palladio Præfecto Prætorio.

Junius Quartus Palladius, Monachus, & Agricola iterum Præfecti Prætorio edixerunt.

In Pelagium, atque Cœlestium Catholicæ dogmatis fidem sævis tractatibus destruentes sententia principalis invaluit, ut venerabili Urbe submoti bonorum Concilio mulcerentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistra persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Et si sit ille plebejus, ac Clericus, qui in caliginis hujus obscena reciderit, à quocunque tractus ad Judicem sine accusatrici discretione personæ, facultatum publicatione nudatus irrevocabile patietur exilium. Nam superna majestas, ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita ex ineptâ disputatione injuriam.

Hoc edictum Baronius Anno 420. num. 4. recitat eo tempore, quo Constantius Imperator contra Cœlestium ad Volusianum Præfectum Urbi scripsit anno 420. ut ille putat. Sed ex rescriptis Imperatoriis constat, hoc anno emissum edictum à memoratis Præfectis Prætorio; Et sanè hoc ipso anno 418. Palladius erat Præfectus Prætorio Italiæ ex Cod. Theod. lib. 11. l. 12. de Indulgentiis debitorum, ubi recitatur rescriptum ad eundem de Censibus Campaniæ, Tusciæ, & Piceni. Flavius Monachus erat Præfectus Prætorio Orientis ex eodem Cod. lib. 16. l. de Episcopis, Ecclesiis &c. est rescriptum de Parabolanis pro Antistite Alexandrino. Agricola erat Præfectus Prætorio Galliarum ex literis Imperatoris Honorii ad illum datis XV. Kal. Majas de agendo singulis annis Arclate conventu VII. Provinciarum apud Sirmondum in notis Sido-

Sidonianis ad epithalamium Polemii; omnia hæc rescripta Honorio XII. & Theod. VIII. Coss. data sunt, nempe hoc anno 418. Legem Honorii contra Pelagianos iidem Præfectorum Prætorio per singulas suarum præfecturarum dioceses promulgarunt, de quâ re Salmastius paginâ 293. Hic tamen ejusdem Salmastii error corrigendus est, qui ibidem pag. 291. ait: *sequitur editum quatuor Præfectorum Prætorio, & numerantur, Junius Quartus, Palladius, Monaxius, Agricola;* cum tamen tres tantum ibidem nominentur Præfectorum Prætorio, nam Junius Quartus Palladius unus, idemque fuit, quem præve in duos Salmastius dissecat; patet hoc ex lapide apud Panyinium meum lib. 3. Comment. in Fastos ita inscripto: JUNIUS QUARTUS PALLADIUS. V. C. COS. ORD. In codice Augustiniano bibliothecæ Ducum Urbinatum, quæ modò Vaticanæ conjuncta est, numero 118. pag. 167. legitur Epistola Sancti Innocentii Papæ ad Patres Carthaginensis provinciæ cum hac subscriptione: *Data VI. Kal. Februarias post consulatum Theodosii Aug. VI. & Junii Quarti Palladii V. C. sed consulatus Theodosii VII. dicendus est atque ita legitur in MSS. Chistianæ bibliothecæ, itemque Vaticanæ Num. 425. pag. 149. ex codice etiam Corbejensi ejusmodi subscriptionem exhibet Sirmondus lib. 2. Propemptici cap. 2. Eodem anno quadringentesimo decimo octavo Palladius erat Præfectus Prætorio Italiæ, & Illyrici, hoc enim non semel ab Imperatoribus factum est; celebre est rescriptum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii ad Probum Præfectum Prætorio. Igitur sinceritas tua id ipsum per omnem Italianam, tum etiam per Urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum prælatâ oraculi hujus auctoritate firmabit: lib. 11. Cod. Theod. tit. 13. Si per obreptionem: Atque ita anno præfenti 418. idem erat Præfectus Prætorio Italiæ, Africæ, & Illyrici, anno verò 422. Philippus erat Præfectus tantum Prætorio Illyrici, ut ex rescripto Theodosii cap. 19. dicemus.*

Cæterum Julianus Honorii legem à Præfectis Prætorio publicatam sibi favere dicitabat, quem Sanctus Augustinus lib. 3. cap. 1. hæc irridet &c. *Sanè ut dicitis, si pro vobis potius ab Imperatore responsum est, cur non in medium proflitis, & hoc ultrò publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus Princeps approbavit fidem?* &c. Quæ verba Augustini Baronius Juliani Pelagiani esse putavit ad annum 418. pag. 414. De hac Pelagianorum damnatione hæc scripsit ad Pinianum Sanctus Pater lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 17. *Præfecto sentitis in tam nefandi erroris auctores Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem, universamque Romanam Ecclesiam, Romanumque imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissime fuisse commotum, donec resipiscant de Diaboli laqueis: Ubi vides, Romanæ Ecclesiæ nomine universam Christi fidelium congregationem significari, ut planè constat, Romanam Ecclesiam totius Christianæ religionis regulam censeri.*

CAPUT XIV.

Recitata Pelagianorum damnatio rejectis aliorum Scriptorum sententiis illustratur. Ex Commonitorio Martii Mercatoris ad Theodosium Augustum nonnulla scitu digna adnotantur.

Peractam in Africâ, Romæ, ac Ravennæ Pelagianorum proscriptionem paucis perstrinximus, in quâ sanè narrandâ cum plerique extrâ orbitas

excurrerint, huc eorum dicta refellenda seposuimus, ne subindè altercandi necessitas historiæ filum interrumpere. Baronius unam hoc anno 418. Synodum Carthaginensem celebratam existimat, quæ initio veris inchoata usque ad Kalendas Majas duraverit. Usserius duas quidem ponit, sed priorem anno 417. adscribit, posteriorem anno 418. deputat. Vossius lib. 1. cap. 44. duo sub Zosimo Concilia statuit Carthaginense contra Pelagianos coacta, sed unum provinciale putat, alterum plenarium ex universâ Africâ, in quâ sententiâ est etiam Usserius cap. 10. Brit. Antiq. pag. 269. In primis contra Baronium dicendum est, duo Concilia ab Africanis Patribus celebrata esse, in quorum primo, quid literis Zosimi, quibus Pelagianos laudabat, respondendum esset, quæve ratione eorum fraudes detegendæ, seridò actitatum est. Hujus testis est Augustinus Epist. 47. ad Valentinum, ubi memoratis Synodis Carthaginensibus, & Milevi sub Innocentio celebratis ait: *Item quod Papæ Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius Orbis Episcopos missum, & quod posteriori Concilio plenario totius Africa contra ipsum errorem breviter constitutum. Et lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 7. loquens de Cælestii damnatione à Zosimo peractâ ait: Sed posteaquam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directâ sunt, quid fuerit consecutum, ut justissime in eum sententiâ proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.*

Utamque verò Synodum plenariam fuisse colligitur ex Prospero in Chronico, ubi ait: *Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* En apertè literas, quibus Pelagianorum versutias Afri aperiebant, missas esse ad Sedem Apostolicam à Synodo CCXIV. Episcoporum, qui sanè numerus non erat ex solâ provinciâ Proconsulari, sed ex universâ Africâ; etenim CCXVII. anno 419. in Concilio plenario de appellationibus interfuere ex literis Synodi ad Bonifacium Papam. Hinc Sanctus Pater priorem sub Zosimo Synodum semper Africanam, nunquam Carthaginensem nuncupavit. Jansenius nomine Synodaliū Decretorum intellexisse Prosperum ait; Cationes octo contra Pelagianam hæresim statutos; sed illi in posteriori Synodo Kalendis Maii habitâ exarati sunt, quod posteriori Concilio, scribit Augustinus Epist. 47. *plenario totius Africa contra ipsum errorem breviter constitutum:* at octo illi canones id certè dicendi sunt, quod breviter Patres constituerunt; In priori congressu procusa est instructio ad Zosimum, quâ Pelagianam hæresim de facie posset cognoscere; audiatur Sanctus Doctor lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. ubi de Cælestio per Africanos convicto scribit: *Hoc ut plenius, & manifestius in illo fieret, expectabatur venturis ex Africâ literis, in quâ provinciâ ejus aliquantò calliditas evidentius innotuerat; Quæ Romam literæ posteaquam venerunt id continentes non sufficere hominibus tardioribus, & sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat &c.* neque semel Augustinus canonum ad Sedem Apostolicam transmissorum mentionem facit. In quibusdam Prosperi Chronicis & præsertim in Codice M. S. Augustano, quod volumen inter Opera ejusdem in Bibl. Patrum Edit. Colon. anno 1618. legitur, duplex Synodus hoc anno Carthaginense habita recensetur: *Honorio XII. & Theodosio VIII.*

doſo VIII. Coſ. Concilio apud Carthagineſem habito CCXVII. Epiſcoporum ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlati ſunt, quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt. *Valentinianus Conſtantii & Placidi a filius naſcitur V. Nonas Julias. Carthaginiſ Concilium contra Pelagianos.* Quæ poſtrema verba imprudenter fortè exſcriptores eraserunt, ne idem repeteretur, cùm tamen eam lectionem cæteris verioreſt exiſtimem, nam duplex eo anno Synodus habita fuit; etenim, cùm literæ Zoſimi, queis Africanos præcipitis iudicii in cauſâ Cœleſtiii accuſabat, Carthagineſ IV. Nonas Novembris delatæ fuerint, antequam Synodus plenaria deliberaretur, atque indiceretur, & ex remotis Africa regionibus Epiſcopi convenirent, reliquum anni tempus elapſum fuit, imò ne Natalem Domini extrâ ſuas Eccleſias univerſi Epiſcopi celebrarent, indiſtam ab Aurelio diem Synodi arbitror propè Kalendas Februar.

Rurſus neque verum eſt, quod nonnulli ſcribunt, Pelagianos Romæ damnatos eſſe Kalendis Maii, quâ ipſâ die etiam in Africâ damnati fuere; etenim Africanæ Patres nihil de Pelagianis auſi fuiſſent ſtatuerè, niſi priùs delato in Africam nuncio eorum, quæ Romæ à Zoſimo decreta fuiſſent. Porro cùm literæ Zoſimi, queis ſe plenè Pelagianas tecnas deprehendiſſe ſignificabat, in Africam pervenerint Tertio Kal. Majas, eâ enim die acceptæ ſignantur, & ipſis Kalendis Maii ab Aurelio, & cæteris Patribus Pelagiani Carthagineſ damnati ſint, conſequens eſt, ut illi Romæ prædamnati fuerint, antequam literæ illæ ſcriberentur, quæ cùm datæ dicantur XII. Kal. Aprilis, rectè inferimus, Pelagianos Romæ damnatos menſe Martio. Indè etiam eadem ſententia improbat, quòd Honorius legem in Pelagianos emiſit pridie Kal. Majas, ut ex ſubſcriptione patet, undè priùs ab Imperatore, quàm à Zoſimo proſcripti fuiſſent, oppoſitum ſcribente Poſſidio Epiſcopo Calameneſi, qui in Synodo Carthagineſi contra eoſdem ſententiam dixit, is enim in libro de Vitâ Auguſtini hæc ſcribit cap. 18. *Instantiſſimè etiam Conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, ut ſancto Pape Urbis Romæ, & priùs venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zoſimo ejuſ ſucceſſori perſuaderetur, quòd illa ſecta Catholica fide & abominanda, & damnanda fuiſſet. At illi tantæ Sedis Antifites ſuis diverſis temporibus eoſdem noſtantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes dati literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Eccleſias eos anathematizandos, & devotandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt: Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholica prolatum iudicium etiam piſſimum Imperator Honorius AUDIENS, AC SEQUENS ſuis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere conſtituit.* Hæc ille.

Ex his Poſſidii verbis refellit Uſſerius, qui pag. 271. libri memorati ſcribit, Honorium acceptis geſtis Synodi Africanæ, haud expectato Zoſimi decreto, legem in Pelagianos ſanxiſſe, nam iſta in codice à Salmaſio è Thuanâ Bibliothecâ producto taleſ, inquit, titulum præfert: *Sacrum Reſcriptum acceptis Synodi geſtis datum.* At in urbanâ Synodo Zoſimus Pelagianos damnaverat, uti anno ſuperiori in Baſilicâ Sancti Clementis coram eadem Synodo Cœleſtium examini ſubjecerat, & Poſſidius apertè teſtatur, Honorium audiviſſe, ac ſecutum fuiſſe latum à Zoſimo contra Pelagianos anathema, hoc enim emiſſum eſt menſe Martio, lex verò Honorii in ſine tantum Aprilis. His adde, labi Voſſium cap. 45. ubi ſcribit, Oroſium in apoſogetico lauda-

re plenarium Concilium Africa Kalendis Maii celebratum anno 418. vocarique ab eodem Synodum Africanam, nam Apologiam Oroſii ſcriptam eſſe in Aſiâ anno 415. eo anno demonſtravimus; Africanam verò Synodum Oroſius ibidem illam intelligit, quæ anno 412 coram Aurelio in cauſâ Cœleſtiii Carthagine coacta fuit abſente Auguſtino, à cujuſ ſententiâ Romanam Sedem hæreticus appellavit; Oroſius hiſ in Pelagium invehitur: *Non ut tu aſeris cum diſcipulo tuo Cœleſtius, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura conuſa eſt: At in poſtremâ hac contra Pelagianam hæreſim Synodo Africanâ, non unus Cœleſtius, ſed & Pelagius quoque damnatus fuit.*

Cæterum quantus in plenariâ utrâque Africanâ Synodo Auguſtini labor fuerit, induſtria, ac ſollicitudo, eleganter cecinit Proſper in carmine de Ingratis cap. 2. & 3.

An alium in finem poſſet procedere ſanctum Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu Ubertiore rigans noſtro lumen dedit avo Accenſum vero de lumine, nam cibus illi; Et vita, & requies Deus eſt, omniſque voluptas; Unus amor Chriſti eſt, unus Chriſti eſt honor illi, Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi Omnia, & in ſancto regnat ſapientia templo. Iſtius ergo inter cunctos, qui de Grege ſancto Inſanas pepulere feras, induſtria major, Major opus, totum præſtantius imbuit Orbem; Nam quocunq; gradum convertit callidus hoſtis, Quæpe per ambages anceps iter egit operas, Huius ab occurſu eſt præventus, mille virarum Inſidiis aditum non reperientibus ullum.

Unius ergo Auguſtini præcipuè induſtriâ Hæreſis Pelagiana, quæ hucufque ſub Catholica imagine Orbi illuſerat, fucis abraſis de facie à Romano Pontifice Zoſimo, atque Romano etiam Imperatore cognita utrorumque decretis Chriſtiano Orbe exacta eſt.

Non eſt hic omittendum, quod de eadem per Zoſimum Pelagianorum damnatione ſcribit Marius Mercator in Commonitorio ad Theodoſium Imperatorem, cùm iidem Hæretici Principis patrocinium implorarent. *Atque ob hoc, inquit de Cœleſtius, à prædicto Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliffimis, vel longiffimis prædamnatus eſt, in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur, & omniſcauſa cum eodem Cœleſtius ſupraſcripto, quæ de Pelagio Magiſtro ejuſ praviore videretur eſſe, narratur, quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria, & ad Orientales Eccleſias, Egypti Diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolymam ſimilia, eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa ſuggerimus.* Undè Genadius ſuperius cap. 11. laudatus rectè de Innocentii Papæ contra Pelagianos decreto ait, quòd illud Zoſimus latius promulgavit; Nam ille ad Africanos tantum illud tranſmiſit, hic verò ad Cyrillum Alexandrinum, Atticum C. P., Rufum Theſſalonicenſem, Praylum Hieroſolymitanum, itemque ad Alexandrum Antiochenum, qui Orientalium Eccleſiarum Primas erat. Colligitur etiam ex eodem Mercatore, ſeptem illa capita, de quibus Cœleſtius Carthagine coram Aurelio accuſatus fuerat, eidem Romæ à Zoſimo objecta, eorumque damnationem encyclicis literis inſertam, quæ licet interierint, ex damnatis tamen capitulis integra ferè earundem ſententia procul dubio deducitur. Hæc inſuper de eadem Zoſimi encyclicâ idem Marius Mercator ibidem ſcribit:

Et illa beate memorie Zosimi Epistola, quæ tractoria dicitur, quæ Coelestinus, Pelagiusque damnati sunt, quæ & Constantinopolim, & per totum Orbem missa subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata; Cui Julianus, & reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum Imperialibus, sed & Sacerdotibus statutis depositi, atque exautorati ex omni Italiâ deturbati sunt, ex quibus plurimi respicientes, & à prædicto errore correcti regressi sunt supplices ad Sedem Apostolicam, & suscepti suas Ecclesias receperunt. Fuisse verò octodecim in Italiâ Episcopos, qui Zosimi encyclicam subscribere recularunt, ex inferiùs dicendis constabit, nam totidem pro Pelagianis ad Rufum Thesalonicensem scripsere, quorum tamen major pars duce Turbantio ad meliorem frugem reversa amissam dignitatem recepit, Juliano, Floro, Oronio, Fabio, ac Præsidio obstinate in hæresi perdurantibus, ut lib. 2. cap. 3. dicemus.

CAPUT XV.

Augustinus missis Hierosolymam libris Pelagii infidias detegit. Pergit jubente Zosimo in Mauritaniam. Disputat Casarca cum Emerito Donatistarum Episcopo. Hipponem reversus Romam ad Sixtum contra Pelagianos, dein ad Valerium Comitem contra eosdem scribit.

Interea Pelagius Romani iudicii exitum in Palæstinâ opperiebatur, ubi Albinæ, Piniani, ejusque uxoris Melaniæ lenioris alterius neptis familiaritate gaudebat; Hi quidem nobilissimi Romanorum tanti quondam census fuerant, ut auctor vitæ Sanctæ Melaniæ apud Surium die 31. Decembris hæc scripserit: Neque enim ullus alius, excepto Imperatore, de divitiis cum eis contendisset; At illi ditissimo patrimonio in pauperes omni serè ex parte erogato, atque monasteriis construendis impenso in Africam primum, dein in Palæstinam se receperant. Cum illidem ad eam necessitudinem fovebat Augustinus, ut illorum visendorum causâ vel maria sibi volatu pertranscunda esse affirmaret in Epist. 127. ad eosdem. Igitur hi, cum Pelagii veteris familiæ & nobilissimæ, & ditissimæ clientis vicem dolerent, quod passim tamquam hæreticus traducebatur, hominem conveniunt, rogantque, ut quæcunque contra ipsum jactantur, scripto damnet, gratiam Dei, ac peccatum originale fateatur, quæ ab ipso negari fama erat. Pelagius plusquam Punicâ fallendi arte usus de gratiâ quidem hæc respondit: *Anathema, qui sentit, vel dicit gratiam Dei, quæ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam*: ex Augustino lib. de Gratiâ Christi cap. 2. At de peccato originali ex simbolo, cujus exemplum Romam miserat, hæc reposuit: *iisdem Sacramenti verbis debere baptizari infantes, quibus & majores*. Latè igitur nobiles illi conjuges citissimas ad Augustinum literas dedere, quibus catholicas, ut rebantur, Pelagii sententias significarunt, eas verò Sanctus Doctor Carthagine accepit, duosque è vestigio libros elucubravit, priorem de Gratiâ Christi, posteriorem de Peccato originali inscripsit, in quorum præfatione hæc habet: *Festinant enim perlatore inter occupationes nostras multò apud Carthaginem, quàm ubicunque alibi densiores, quantum Deus donare dignatus est,*

ut potuimus, ista dilayimus: ex quibus laudati libri Carthagine scripti declarantur. Alloquens verò amicos eosdem ait: *Dilecti à Deo Albine, Piniane, ac Melania*. Baronius ad annum 409. pag. 281. pro Albino Albinam substituendam arbitratr (erat Albina Piniani socrus) anno 419. idem repetit addens: *Nisi præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius*: Sed eâ ætate femine masculinâ nominis inflexione à viris doctis nominabantur; ita Paulæ filia non Eustochia, sed Eustochium dicebatur, Sanctus Paulinus Epist. apud Augustinum 249. Melaniam Melanium nuncupavit, & Hieronymus Epist. 79. ait: *Albinus, Pinianus, Melania salutant vos*; Alibi Augustinus Epist. 124. & 125. Albinam dixit. Hæc adnotavi, ne quis cum Baronio Albinum filium Melaniæ fratrem sine teste supponeret. Cæterum Sanctus Doctor in lib. 1. de Gratiâ Christi demonstrat, Pelagium nomine tenus Christi gratiam adstruere, neque illam à libero arbitrio, lege, doctrinâ Evangelicâ, aut exemplo Christi distinguere, solam possibilitatem eadem juxtâ hæreticum adjuvari, non verò reapse virtutum actus donari; dari illam ex meritis, & ad hoc ut facilius tantum pravis suggestionibus resistamus; varia deinde testimonia, quæ ex editis abs se libellis Pelagius in gratiâ commendationem producit, Sanctus Doctor ventilat, quantumque fraudis singulis inquit, exponit; manifestissimis denique prodivinæ gratiæ assertionem Ambrosii pronuntiatis opus concludit. Hic tamen eorum sententia castiganda est, qui putant Pelagium veram gratiam agnovisse, quæ speciale quoddam auxilium esset humanæ voluntati cœlitus donatum, intusque eandem moveas, sed inde errasse, quod ad facilius operandum gratiam illam necessariam tantum esse voluerit; Etenim Pelagius sentiebat, eas esse liberi arbitrii vires, ut se solo quantumcunque virtutum actus posset licet difficulter elicere, idem verò divinæ legis, ac doctrinæ Evangelicæ instructione suffultum easdem sibi virtutes facilius comparare posse autumabat; horum luculentissimus testis venit Augustinus in hoc libro de Gratiâ Christi, in quo cap. 40. hæc scribit: *In quibus ejus verbis certè manifestum est, ita eum velle, nos adjuvari gratiâ Spiritus Sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistimus. Quod tamen qualecunque, & quantumcunque adiutorium, eum credibile est, in hoc constituere, quod nobis additur scientiâ, revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficile habere possumus per naturam*. En gratia Pelagiana, quæ facilius nobis ad virtutes via sternitur, nempe scientiâ, & doctrinâ, non verò interna quædam motio singulari Dei providentiâ nobis impressa. Non ergo Pelagius veram gratiam unquam agnovit, sed fucato gratiæ vocabulo conatus est, invidiam frangere, & piorum offensionem declinare. In altero libro de Peccato originali tradit, Cœlestium tunc Carthagine, tunc Romæ palam originalem culpam negasse, & utrobique ob illud dogma damnatum, idem & Pelagium docere, licet verbis aliud dicere videatur, vitiatam nasci hominum naturam, nec sanari lege Moysis, vel exemplo Christi, sed solâ gratiâ, & fide à Deo homini infusis; bonas esse nuptias, malam autem libidinem, sine quâ nuptiarum bonum, nempe filiorum generatio, haberi non potest. Hæc duo ad Pinianum volumina damnatis à Zosimo Pelagianis scripta abs se fuisse testatur Sanctus Doctor lib. 2. Retract. cap. 50. Hinc rejicitur Vossius lib. 1. Histor. Pelag. cap. 13. scribens, hosce libros editos

editos fuisse ex Synodi Carthaginensis, scilicet sub Innocentio anno 416. postulato, quemadmodum liquet ex Epist. 110. nam compositi sunt libri illi Carthagine anno 418. scripta verò laudata in Epist. 110. fuere gesta Synodalia Hippone elucubrata, ut ex memoratâ Epistolâ apertè deducitur, sed de his c. 10. abundè diximus.

Augustinus id temporis agebat Numidarum Legatum; etenim cùm Synodus Kal. Maii cogi cœpisset, nec ob plurimas Ecclesiarum Africæ causas ibidem discutiendas brevi solvi posset, ne tot Episcopi molestiores Carthagine moras pati cogerentur, ex singulis provinciis terni Patres selecti fuerunt, qui cæteris domum reversis quælibet Ecclesiastica negotia plenâ auctoritate discuterent. Pro Numidis legatione fungebantur Alipius Tagastensis, Augustinus Hipponensis, ac Restitutus. Interim Zosimi literæ superveniunt, quibus Augustinus, & Alipius Cæsaream Mauritaniam ad nonnulla expedienda destinantur: Ex Epist. 157. Cùm illuc Sanctus Doctor pervenisset, disputationem publicam habuit cum Emerito Donatistarum Cæsarensis Urbis Episcopo, præsentibus Deuterio Metropolitâ Catholico Cæsarensi, Alipio, Possidio, aliisque Episcopis, universo Clero, ac frequentissimâ plebe; exitum describit Augustinus lib. 2. contrâ Gaudentium cap. 6. *Affuit maxima multitudo, nihil pro sua, seu pro vestra defensione dicere potuit, communicare noluit, dilatus perseveravit, convictus obmutuit, illasus abscessit.* Gesta verò à publicis Notariis excepta sunt, quorum hocce initium legitur: *Gloriosissimis Imp. Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Duodecimo Kal. Octobris Cæsariæ in Ecclesiâ majori &c.* Erat in eâ urbe vetus quidè, sed crudelis consuetudo; solemnî congressu statis diebus singulis annis cives duas in partes divisi lapidibus se obruebant, quam plusquam civilem pugnam *câternam* nominabant; Eam tamen consuetudinem ab Avis per longam annorum seriem traditam suis declamationibus Augustinus tandem antiquavit, dùm ibidè hoc anno moras neceret. Ex lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 24.

Cùm Augustinus Cæsareæ variis occupationibus detineretur, Renatus Monachus ipsius familiaris Epistolam ab Optato Episcopo, qui ipsum de animæ Origine consulebat, accepit, quam cùm Augustino legendam tradidisset, accidit, ut Mureses Episcopus Optati necessarius eò adveniret, qui de eodem argumento ab hoc ipso ad se missas fuisse literas Augustino significavit, Sanctum Doctorem simul consulens, roganque, ut ipsemet quid sentiendum foret, vel sibi eoram, vel Optato per literas exponeret; quod etiam cùm Renatus urgeret, Augustinus eruditam ad Optatum Epistolam misit, in quâ apertè fatetur, dubium jam indè à pluribus annis se esse de animæ origine, num crearetur immediatè à Deo, vel per traducem à parentibus in filios derivaret, de quâ re nihil ex Scripturis certi colligi posse ostendit; scripsisse se eâ de re ad Hieronymum, à quo nondum responsonem acceperat, quodlibet tamen asserat, adstruendum esse peccatum originale, quod contrâ Pelagium, ac Cœlestium Ecclesia Romana credendum esse decrevit, mittere verò se exempla recentium literarum, sive quæ speciatim ad Africanos, sive quæ universim ad omnes Episcopos de memoratâ Sede manarunt, statimque subdit damnatam illis in literis Pelagii argumentationem, quâ ex animarum creatione tolli originis peccatum contendebat, recitans etiam fragmentum Epistolæ Zosimi, quæ intercedit. Duas alias Epistolâ Augustini de eodem argumento ad Optatum datas citat Sanctus Fulgentius lib. 3. de Ver. Præd. & Grat.

versus finem, quæ tamen interiere, illa verò ponitur inter Epistolâ Augustinianâ Tomo 2. num. 157.

Rebus Cæsareæ expeditis Augustinus Hipponem rediit, ibique plures ad se transmissas literas accepit, has inter erant duæ Valerii Comitis, simulque Epistola satis proluxa Sixti Presbyteri Romani, qui Cœlestino Papæ postea successit, detulerat eas Firmus Presbyter, atque absente Augustino literis Hippone relictis, aliò diverterat ex Epist. 105. initio. Hic Firmus Paulæ, ejusque filia Eustochii amicus anno 414. *ob rem earum Ravennam, & indè in Africam, Siciliamque directus, ut scribit Hieronymus Epist. 30. apud Augustinum, dum Ravennæ moraretur, Valerii Comitis intimâ familiaritate usus fuerat; erat ille Honorii Imperatoris Dux, ad quem etiam aliquoties scripserat Augustinus, sed nullum ab eo responsum tulerat, illius tamen hoc anno tres literas accepit, unam per Vindemialem Episcopum, & per Firmum, uti diximus, duas ex initio lib. 1. de Nuptiis, & Conpiscent.* Cùm verò Pelagiani à Zosimo Romæ damnati sunt, Firmus aderat Romæ, undè Augustinus eundem ad Sixtum scribens vocat *non solum adpescorem scriptorum tuorum, verum etiam narratorem, testemque factorum*: Epist. 105. Sixtus cùm falsis Pelagianorum rumoribus, qui illum sectæ Patronum publicabant, malè se in Africâ audire intelligeret, breves ad Aurelium literas miserat, quæ talem à se notam excuteret, paulò verò post proficiscenti in Africam Firmo Epistolam ad Augustinum, & Alipium dedit, quam cùm Augustinus ingenti lætitiâ perflatus legisset, eandem cum breviori responso ad Alipium per Albinum Acoluthum legendam transmisit: Verùm remeante ex Africâ in Italiam Firmo prolixior ad eundem Sixtum Epistolam Augustinus perscripsit, in quâ universæ Catholicæ doctrinæ contrâ Pelagianos assertæ compendium posuit. Ostendit ex eadem mãsâ originali peccato infectâ alios misericorditer liberari, aliis justè in eadem perditionis mãsâ relictis; Pelagianos conclamantium piorum vocibus pressos gratiæ auxilium jam tandem fateri, sed ex humanis meritis illud suspendere, ad gratiam nulla merita supponi, quoniam meritis impij non gratia, sed pœna debetur. Pelagianos gratiam sine meritis datam perperam contendere esse humanam naturam; Fidem sine ullis meritis à Deo homini donari, idque pluribus Sacrarum literarum testimoniis comprobati Orationem ipsam inter gratiæ munera computandam; Nullam peccatoribus adversus judicia Dei inscrutabilia excusationem suppeterè, nam si excusatio illa justa esset, non indè jam gratia, sed justitia liberaret; Qui Deum in gratuita gratiæ largitione personarum acceptorem objiciunt, in parvulis omnes argumentationis vires perdere, quorum tam plurimi sine meritis salvantur: Jacob sine meritis à Deo electum, Esau ob peccati demeritum reprobatum; Non damnari parvulos ob peccata, quæ si viverent, perpetrarent, cùm non commissorum delictorum minime sit ultor Deus; Originalis peccati per fideles genitores transfusionem exemplo oleæ, & oleastri explicari, illudque ex Ecclesiæ caremoniis in exsufflandis, & exorcizandis infantibus in baptismo evidenter convinci. Hæc Epistola 105. ad Sixtum, ita enim numeratur inter Augustinianâs, non modò ultimo idu Pelagianos consecit, sed & Semipelagianos, antequam orientur, suffocavit, dum initium fidei ex meritis, & infantium nunquam futura merita, vel demerita irrisit, atque electionem Dei prædestinantis omnia humana merita præcedere asseruit, unde factum est, ut huic Epistolæ Semipelagiani postea exorti accerrimè contradixerint, teste Augustino Lib. de Dono perf. cap. 21. Vim autem occupationibus suis interrumpendis longioris Epistolæ distandæ gratiâ se fecisse Sanctus Doctor testatur, non solum, ut virum eruditum, &

magni apud Romanos nominis in sententiâ confirmaret, sed quia probe sciebat, eandem Epistolam Romæ ab univertis legendam fore, atque exscribendam.

At cum Augustinus intelligeret, nonnullos apud Valerium Comitem sibi imponere, quod nuptias damnaret, asserendo originale peccatum, librum priorem de Nuptiis, & Concupiscentiâ ad Valerium eundem transmisit, quem vel hoc anno ferè exeunte, cum Cæsareâ Hipponem rediit, vel initio sequentis elucubratum fuisse non dubito: Docet in eo volumine, bonas esse nuptias, malam verò concupiscentiam, quâ benè utuntur nuptiæ, originis reatum tolli per baptismum, cum quo omnis homo nascitur subditus Diabolo: Hominem factum à Creatore, captivatum à deceptore, indigum Redemptoris; filios ob originalem maculam nasci peccatores à mundis, & sanctis parentibus, idque exemplo oleæ, & oleastri satis congruè explicari; nullum in paradiso fuisse nuptiarum pudorem, qui post peccatum ex effræniibus concupiscentiæ motibus nobis inest, esseque eandem concupiscentiam vehiculum originalis peccati, ejusque reatum dimitti in baptismo; egregio verò Sancti Ambrosii Mediolanensis à Pelagio eximie laudati testimonio opus concludit. Erat Valerius Comes Augustini studiosus, ejusque libros libenter evolvebat: *Nam & hoc*, inquit Augustinus in Proœmio, *comperi, quod inter tuas multas, magnasque curas, facile, ac libenter legas, nostrisque opusculis, etiam, quæ ad alios conscripsimus, si quæ in manus tuas venire potuerunt, admodum delesteris; & in fine libri ejusdem studium commendans, intelligere se dicit, quod tam libenter legas, ut etiam nocturnas aliquas horas lectioni vigilantè impendas.* Ex quibus calumnia Juliani evanescit, qui Augustino postea vitio vertit, quod libros viro militari nuncuparet; Valerius enim & literis, & armis simul vacabat, quod & disceret facienda, & faceret discenda, quæ summa virorum laus est. Libeat autem hic insinuare, quantum abhorreret modesti vir ingenii Augustinus à dedicandis libris Nobilibus, ac Principibus viris; Hæc enim ibidem cap. 2. scribit: *Mibi nunquam placuit, cuiquam illustri viro, & tantâ, quantâ es ipse, sublimitate conspicuo, præsertim non ociosâ dignitate jam fruente, sed adhuc actibus publicis, eisdemque militaribus occupato aliquid meorum opusculorum legendum non à me petenti, non tam diligenter, quam impudenter impingere.* Inter causas autem, cur eidem Comiti opus præfens inscripserit, hanc secundo loco posuit: *Quia prophanis, ait, istis novitatibus, quibus hic disputando resistimus, tu potestate curando, & instando efficaciter restitisti.* Hunc librum ad Valerium post damnationem Pelagii, Cælestiique conscripsi, inquit Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 5. Julianus, sociique hunc nobilissimum virum plusquam Vatiniano odio persequabantur, etenim ipsam Imperatorem Honorium contra Pelagianos semper excitans pravis eorum conatibus obviâ ibat. Fuit hic Valerius magnâ apud Principem in æstimatione. Anno 425. erat Comes rei privatæ, ad quem datum legitur rescriptum lib. 10. Cod. Theod. L. 32. de *perit. & ultrò datis.* Theodosio XI. & Valentiniano Cæs. Cons. Item anno 427. erat Comes sacrarum largitionum ex lib. 10. Codicis ejusdem L. 17. de *murilegulis &c.* Hierio, & Ardabure Cons. Idem etiam anno 432. gessit consulatum ordinatum; anno verò 435. erat Magister Officiorum, extat enim ibidem lib. 7. tit. 8. L. 16. de *metatis* rescriptum ad Valerium *Magistrum Officiorum, & Exconsulem* datum Theodosio XV. Cos. Undè Julianus, cum ab Au-

gustino nuncupatos Valerio libros mille distentis impeteret, Valerium Patronum tantum Augustini nuncupavit, & libro 1. Operis Imperfecti cap. 17. eundem *militiæ sudoribus occupatum* dixit, viri enim potentiam reveritus ab omni convicio abstinuit.

CAPUT XVI.

Moritur Zosimus, inde schisma inter Eulalium, & Bonifacium constat. Placidia soror Honorii ad Augustinum scribit. Quid de schismate Pelagiani publicarent. De legatione Alipii ad Imperatorem contra Pelagianos Baronii, Fanseni, ac Scriptorum Augustinensium chronologia non probata. Edictum Honorii contra Pelagii, ac Cælestii defensores, itemque literæ Aurelii Primatis Carthagenensis contra eosdem.

EXeunte anno superiore 418. decesserat Zosimus Papa de divinâ gratiâ optimè meritus, nam licet initio Pelagianorum fraudibus circumventus mitius cum ipsis egerit, eorundem tamen dolis per Africanos Patres sibi patefactis, tam vehementi ictu illos prostravit, ut se se humo tollere nunquam posse à valuerint, datis enim ad totius Orbis Episcopos literis eosdem sacro anathemate percussit; idem Augustinum maximè coluit, suumque ad Cæsareensem Ecclesiam Legatum destinavit. Cæterum mortuo Zosimo periculosa tempestas Romanam Ecclesiam adorta est inter Bonifacium, & Eulalium schismate conflato. Honorius Imperator urbanis dissidiis cognitis, ne factionum Principes præsentia tumultum auferent, mandavit Symmacho Urbis Præfecto, ut utrumque Pontificem nuper electum Roma dimitteret, at ne Romani futura festa Paschalia sine Antifite peragerent, eam curam Achilleo Spoletinæ Ecclesie Episcopo demandavit, omnia interim tentans, quod dissidentes componeret; Verùm cum gravioris difficultatis id negotium cerneret, statuit Synodum plenariam apud Spoleterum cogere, quare Africanos Patres ad eandem per literas evocavit; Cardinalis Baronius eandem ex Codice Vaticano publicavit ad hunc annum 419. queis indicitur Synodus *intra diem Idum Juniarum.* Præter verò sacras divales idem Imperator privatas literas, ait Baronius, ad Aurelium Primate scripsit; ejusdem pariter exempli literas ab eodem Honorio datas ad Augustinum, ac sex alios Episcopos ex laudato codice idem testatur eadem Epistolâ ibidem recitata, in quâ hæc leguntur: *Sed quamvis sacra Domini Germani mei Augusti Principis ad Italiam Synodum evocans auctoritas non negligenda provenerit, socianda specialiter etiam Serenitatis nostræ scripta judicamus; dicitur Epistola data Tertio Kal. Aprilis Ravennæ.* Cardinalis subdit num. 24. *Quod autem ait, alias antè literas datas ad ipsos Episcopos per Germanum suum, Honorius Imperator Constantium intelligit, cui ob præclaras res gestas adversus Tyrannos sororem suam Gallam Placidiam dedit uxorem.* Labitur vir insignis, nam anno 419. Constantius non erat Imperator Augustus, ille verò, qui priores ad Africanos literas dederat, nuncupatur ibidem *Dominus meus Germanus Augustus Princeps;* anno tantum sequenti ex ipsius Baronii sententiâ Constantius dicitur esse Augustus, vel certè, ut monstrabo, anno 421. quare eo titulo illis in literis idem minimè designatur. Præterea eodem anno, eademque de re Constantius, ac Symmachus ultrò, citroque literas conscribere, quas ibidem Baronius recitat; Symma-

Anno
419.

Symmachus verò eandem ita inscribit: *Domino semper illustri, & per cuncta magnifico, meritoque sublimi, & præcelso Constantio Symmachus.* Neque semel Constantium aut Principis, aut Augulti nomine honoravit. Ex quibus obiter rejicitur sententia Panvinii conterranei mei, qui lib. I. Rom. Principum scribit, Theodosio Augusto VII. & Palladio Consil. anno nempe 416. Honorium Placidiam sororem Constantio in uxorem tradidisse, eundemque Cæsarem designasse, quæ Cuspiniani, Blondi, aliorumque sententia fuit, etenim Constantius à Symmacho Nobilissimus, Cæsarque appellatus fuisset; certè in rescripto Honorii dato anno 416. Ravennæ Kal. Martii ex *Cod. Theod. lib. 15. l. 14. de infirmandis his, quæ à tyrannis &c.* Constantius vocatur solummodo Comes, & Patricius, quin immò nuptias cum Placidia ineunte anno 417. celebravit, ut ex Olympiodoro cap. 19. ostendimus. Quare binæ illæ privatæ Epistolæ, quarum una ad Aurelium, altera ad Augustinum data fuit, scriptæ sunt citrà dubium ab ipsâ Placidia Honorii sorore, atque uxore Constantii Comitissæ, ac Patriciæ, quod poterat satis cognoscere insignis annalium Scriptor, dum illa ibidem *Germanum suum Augustum Principem* appellabat, cujus tantum erat oborto schismate Episcopos ad Synodos vocare, non verò Constantii privati adhuc viri. Ita eadem ipsa Placidia de oblitterandâ postea pseudosynodo Ephesinâ à Dioscoro Alexandrino contra Sanctum Flavianum celebratâ literas dedit ad Theodosium Imperatorem, itemque ad Eliam Pulcheriam Augustam, quæ habentur inter Epistolâs præambulares Synodi Cæthedonensis. Eo pacto corrigendus est Scriptor Sæculorum Augustinensium, qui more sibi familiari cum Baronio laudatam Epistolam ad Augustinum non Placidia, sed Honorio adscribit anno 419. itemque Ludovicus ab Angelis lib. 5. de Vita Aug. cap. 16. Eulalio urbe, uti diximus, pulsus XV. Kal. Aprilis contra Honorii decretum eandem ingressus, atque festis Paschalibus in Basilicâ Constantinianâ celebratis Imperatorem ad iracundiam excitavit, qui Tertio Nonas Aprilis decretum ad Symmachum misit, quo Eulalio ejecto Bonifacius Pontifex iussus est sedere, in quem & cleri Romani, & populi frequentiora suffragia conspirasse didicerat; cum verò Imperatoris literæ Romam VI. Idus Aprilis pervenissent, Symmachus statim Eulalio expulso, ac Bonifacio ingenti civium plausu in Sede Apostolicâ constituto finem diffidiis fecit, simulque mandatum de Synodo Spoleti habendâ per Largum Proconsulem in Africâ revocatum fuit.

Interim Pelagiani hocce Eulalii schisma ob damnatam anno superiore Pelagii, ac Cælestii doctrinam ab ultore Numine permissum publicabant, quàm sanè calumniam repellens Augustinus dixit: *Memento sanè quemadmodum de constituendo Episcopo dissensionem populi Romani insultabundus objectas; Quod abs te quæro, utrum homines suâ fecerint voluntate? Quod si neget, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo autem eam vocas ultionem Dei, atque à vestro dogmate exorbitas, dum putari di-vinitus vindicatum affectas? An tandem aliquando concedis, quod obstinatissimâ contentione negaveras, occulto iudicio fieri, ut in ipsis hominum voluntatibus inveniat aliquid, quod & peccatum sit, & pœna peccati? Hoc enim nisi in istâ tuâ sententiâ sapuisses, nullo modo factum hominum ultionem Dei esse dixisses. l. 6. contra Jul. c. 12.* Deinde schismatis inter Sanctum Damasum, & Ursicinum exemplo usus, cum nondum Pelagiani orti fuissent, inanem

hæretici calumniam ostendit. Pelagianos quidem contra Bonifacium Romæ stetitse scribit Baronius; Et sanè litigantibus Pastoribus Lupi ad Catholicas caulas fremebant, & Zosimi timore deposito ubique turbas dabant, quo etiam tempore Cælestium se se Urbi insinuasse arbitror, qui postea instante Bonifacio à Constantio indè expulsus fuit.

Hic annus CCCCXIX. ob famosam Alipii nostri Tagastensis ad Honorium susceptam contra Pelagianos legationem à Baronio, Jansenio, nostrisque Rivio, ac Torello celebratur. Mirum in rem planè falsam universos tantâ concordia conspirasse! Alipium ob Pelagianos præcipuè coercendos, aliaque Africanæ Ecclesiæ negotia expedienda ter ad Comitatum in Italiam venisse ostendimus, hoc enim instituto nostro plurimum congruit, cum nullus Patrum post Augustinum plus Alipio pro divinâ gratiâ adversus superbissimos hæreticos insudaverit; ille enim non modò scriptis ad doctissimos quosque literis eosdem exagitavit, verum etiam longarum navigationum incommoda devorans impias eorum machinas fregit, ut planè mirum sit, apud Pelagianarum rerum scriptores adeò tenuem de Alipio mentionem fieri, eamque non eo, quo deberet tempore, ut mox ostendo; Etenim Baronius, alique post ipsum Alipium in Italiam ad Honorium anno 419. profectum fuisse scribunt, atque sanctionem contra Pelagianos à Principe impetrasse datam V. Idus Junii, eamque secum in Africam detulisse; Certum tamen est, eotempore Alipium Carthagine Synodi causâ adfuisse, in quâ subortis gravibus diffidiis de appellationibus transmarinis, Alipius in sessione habitâ VIII. Kal. Junii sententiam dixit, idemque III. Kal. ejusdem mensis acta synodi subscripsit, ut capite sequenti latius patebit; quare certum est, eo tempore Alipium non degisse apud Ravennam, neque ab Honorio contra Pelagianos rescriptum coram impetrasse. Honorius quidem cum aliundè accepisset, quosdam Episcopos Pelagianis publicè pro sectâ loquendi facultatem in Africâ permittere, datis ad Aurelium Carthaginensem literis, severissimâ id lege prohibuit; exemplum Epistolæ è Vaticano codice magni Baronii diligentia exscriptum subijcimus.

*Imperatores Honorius, & Theodosius Augusti
Aurelio Episcopo Salutem.*

DUdum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius, & Cælestius nefandi dogmatis repertoires ab Urbe Româ veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur, ne per ignorantiam mentes sævâ persuasionem perverterent; In quo secuta est Clementia nostra iudicium Sanctitatis tuæ, quo constat, eos ab universis justæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur coegit, recentique quoque sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacunque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere, aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes vel tacito consensu adstruunt, vel publicâ oppugnatione non destruant: Pater carissime, atque amantissime sanctitatis tuæ auctoritatem cavere conveniet, quatenus in abolitione præpostera hæresis omnium devotio Christiana consentiat. Religio itaque tua com-petentibus scriptis universos faciat admoneri sci-

"tuos definitione testimonii tui hanc tibi definitio-
 "nem esse præscriptam, ut quicumque damnationi su-
 "prà memoratorum, quò pateat mens pura, subscri-
 "bere impiâ obstinatione neglexerint, Episcopatus
 "amissione multati interdictâ in perpetuum expulsi
 "civitatis communione priventur. Nam cum ipsi
 "nos juxtâ Synodum Nicænam confessione sincerâ
 "conditorem rerum omnium Deum, imperique nos-
 "tri veneremur auctorem, non patietur sanctitas tua
 "sectæ detestabilis homines in injuriam religionis
 "nova, & inusitata meditantes secretis tractatibus oc-
 "cultare sacrilegium publicâ semel auctoritate dam-
 "natum; Una enim, eademque culpa est eorum, qui
 "aut dissimulando conniventiam, aut non damnando
 "favorem noxium præstiterint. *Et aliâ manu.* Di-
 "vinitas te per multos annos fervet incolumem Pater
 "carissime, atque amantissime. Data V. Idus Ju-
 "nias Ravennæ Monaxio, & Plintâ Confl.

Ejusdem exempli literas ab Honorio ad Augusti-
 num scriptas testatur Baronius, qui in eodem Codice
 hæc legit: *Eodem tenore etiam ad Sanctum Augustinum
 datum rescriptum:* Ad annum 419. pag. 445. Aurelius
 Honorii literis acceptis encyclicam ad omnes Byza-
 cenos, & Arzugitanos scripsit, quâ Imperatoris decre-
 ta eisdem significabat, illius verò exemplum subijcio.

*Dilectissimis, ac desiderabilibus fratribus, ac Con-
 sacerdotibus Donatiano primæ sedis, Januario,
 Feltei, Palatino, Primiano, Gajano, & alii
 Gajano, Januario, Victorino, & cæteris per
 tractum provincie Byzacene, & Arzugitane
 constitutis Aurelius Episcopus.*

Super Cœlestii, & Pelagii damnatione, eorum-
 que dogmatibus participem sanctam dilectionem
 vestram in plenario Concilio fuisse commemorari, di-
 lectissimi, ac desiderabiles Fratres; Sed quoniam
 pro honore Dei, in cujus manu cor Regis est consti-
 tutum, gloriosissimorum Principum Christianorum
 fidem rectam, & Catholicam custodientium accessit
 auctoritas, quam per humilitatem meam universis
 Coepiscopis meis voluit intimari: idcirco hono-
 rabilem fraternitatem vestram missis exemplaribus
 instruere festinavi, ne quid mali in aliquâ parte
 provincie ex supradictorum serpentinâ persuasione
 ab universali Ecclesiâ totius Orbis exclusâ fortasse
 subrepat; Ob hoc ergo tam necessaria constitutio
 Christianorum Principum charitatem vestram la-
 tere non debuit, & ad me ab eis datæ literæ, qua-
 rum simul exemplaribus lectis, quemadmodum sub-
 scribere unusquisque vestrum debeat, dilectio vestra
 cognoscat, sive quorum Synodalibus gestis subscrip-
 tio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plena-
 rio totius Africæ interesse Concilio; quò cum in
 supradictorum hæreticorum damnatione omnium
 vestrum fuerit integra subscriptio, nihil omnino
 sit, undè ullius dissimulationis, vel negligentie,
 vel occultæ forsitan pravitatis aliqua videatur me-
 rito remansisse suspicio. *Et aliâ manu:* Opto, Fra-
 tres, benè vivatis mei memores. Data Kalendis
 Augusti Carthagine Monaxio, & Plintâ Confl.

Arzugitanæ regionis mentionem facit codex Syno-
 dorum Africæ cap. 16. *Quia in Tripoli forte, & in
 Arzuge interjacere videntur barbara gentes,* & cap. 19.
*Cogitare etiam debetis fratres, qui a hoc sibi & Tripolitani,
 & Arzugitani fratres potuerunt exigere:* Ex qui-
 bus patet, minùs rectè ab Ortelio in tabulis Geogra-
 phicis, ubi Africam describit, Tripolim cum Arzu-

ge confundi. Arzugem magis, quàm Byzacium, &
 Tripolim, ad meridiem accedere disertè scribit Au-
 gustinus Epist. 48. ad Vincentium, irridens enim
 vanum illud interpretamentum, cui Donatistæ illa
 Scripturæ verba *ubi pascas, ubi cubes in meridie,* sub-
 jiciebant, quasi Deus fidem Orthodoxam apud solos
 Donatistas in meridianis Africæ regionibus degentes
 remansuram denunciasset, hæc habet: *Si enim hoc
 scripturarum loco meridies Africa intelligenda est in par-
 te Donati, quæ sub cali ferventiori plaga est, omnes vos
 Maximianistæ superabunt, quorum schisma in Byzacio,
 & in Tripoli exarsit; Sed confligant cum eis Arzuges,
 & hoc magis ad se pertinere contendant, Mauritania ta-
 men Casariensis Occidentali, quàm meridiane parti vici-
 nior, quando nec Africam se vult dici, quomodo de me-
 ridie gloriabitur?* Hæc Augustinus; Sed de Arzugita-
 nanâ provinciâ vide inferiùs lib. 2. cap. 7.

CAPUT XVII.

*Cogitur Synodus Africana, ac de appellationibus
 transmarinis agitur. Recitatur codex Conci-
 liorum Africæ, & canones contra Pelagianos
 statuti in eadem Synodo leguntur. Marius Mer-
 cator Pelagianorum hostis, ac Sancti Doctoris
 Hipponensis amicus laudatur. Buberii meta-
 chronismus castigatur. Sanctus Augustinus à
 M. Antonii de Dominis calumniâ in causâ de
 appellationibus vindicatur.*

Gravis hoc anno controversia Augustinum cæ-
 terosque Africanos Patres exercuit. Urbanus
 ex Hipponensi ejusdem Augustini Clero ad Siccen-
 sem Cathedram promotus Apiarium Presbyterum
 quorundam criminum reum Synodali sententiâ ex
 Siccensi Ecclesiâ amovendum curaverat, at ille ap-
 pellationem ad Zosimum interposuerat, qui statim
 Faustinum Potentiæ in Piceno Episcopum, unaque
 Philippum, & Asellum presbyteros suos è latere
 legatos in Africam destinavit, ut Apiarii causam
 retractarent; At Africani agrè ferebant, & acerbè,
 damnatos in provinciis Africæ ad transmarina judi-
 cia provocare; cum verò Apostolici legati eas ap-
 pellationes à Nicænâ Synodo approbatas assererent,
 neque id in Nicænis canonibus, qui in Africanis
 Ecclesiis servabantur, legeretur, gravissima, ac pe-
 nè diuturna contentio suborta est. Mortuo paulò
 post Zosimo ac succedente Bonifacio hoc anno 419.
 in plenariâ Synodo Africanâ de appellationibus dis-
 putatum fuit. Africani prætendebant inolitam vel
 ab ipsis Christianæ religionis apud Africam pri-
 mordiis consuetudinem, nempe ut Presbyteri, Dia-
 cono, ac Clerici inferiores in suis quique provinciis
 judicarentur ad transmarinos judices appellatione
 omnino interdictâ; hoc ipsum Baronius, cæterique
 arbitrantur, decretum fuisse in Synodo priori Mile-
 vitanâ canone XXII. at canones illos ad illam Syno-
 dum non pertinere superiùs cap. 10. ostendimus; il-
 le canon iisdem omnino verbis conditus fuit à plena-
 riâ Synodo Carthaginensi Honorio XII. & Theodo-
 sio VIII. Confl. anno superiore 418. in quâ cano-
 ne XVII. transmarinæ appellationes vetantur, quod
 decretum ob tentatam id temporis contra Africanæ
 Ecclesiæ consuetudinem ab Apiario appellationem
 emissum existimo; laudata verò consuetudo colligi-
 tur ex Augustino Epist. 162. ubi de Cœciliano Car-
 thaginensi, ac collegis Episcopis ait: *Neque enim de
 Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis,
 sed*

sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare: scripta fuit hæc Epistola ad Episcopos Donatistas, postquam ad eosdem alteram dedit, nempe 163. in hac verò scribit Augustinus, se ad Cirtensem Ecclesiam perrexisse ordinandi causâ Episcopi; Fuit hic Fortunatus anno 398. ut lib. 2. cap. 7. probabimus in Profuturi locum suffectus; quæ idè ex Augustino adduxi, ne quis fortè arbitraretur, Sanctum Doctorem in laudatâ Epistolâ 162. canonem illum 22. vulgò Milevitanum secutum, cum Epistola quadriennio ad minus istam Synodum præcesserit: Et quidè de canonibus Milevitanis video Chiffetium in eadem mecum esse sententiâ. At non modò perpetua Africæ consuetudo memoratis appellationibus obstabat, verum etiam summa prosequendi extrâ provinciam iudicii difficultas, hæc enim Africani ad Cœlestinum scripsere: *Quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? statimque addunt: Nam ut aliqui, tanquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum.*

Baronius scribit ad annum 419. pag. 448. Africanos non uno Apiarii factò turbatos fuisse, sed & ob Cœlestii quoque appellationem, qui Carthagine damnatus ad Romanum Pontificem provocaverat. Ego duplex causarum genus distinguendum censeo, unum, quod fidei dogmata spectat, alterum, quod ad Ecclesiasticam politiam pertinet; Nunquam Africani in causis fidei appellationem ad Romanam Sedem vitam voluere, immò illam quàm liberrimè admiserunt. Cœlestius Carthagine ab Aurelio in Proconsulari provinciæ Synodo damnatus Romanum Antistitem appellavit, quo intellecto Paulinus Diaconus Carthaginensis è vestigio Romanum se contulit, quò lata contrâ Cœlestium sententia Apostolico iudicio iterum confirmaretur, neque Aurelius Primas Africæ de Cœlestii appellatione questus fuit, aut Paulino Romanum iter inhibuit, ne eo factò Afrorum jura lædere videretur; Quantum verò Africani in causis fidei Romanæ Sedi detulerint, non uno exemplo comprobatur; Cum Pelagius, ac Cœlestius Carthagine, ac Milevi in Numidiâ anno 416. damnati fuissent, scribit Augustinus Epistol. 94. ad Hilarium: *Nova quædam hæresis inimica gratiæ Christi conatur exurgere, sed nondum evidenter ab Ecclesiâ separata est.* Id temporis nondum Innocentii rescriptum Africanæ Synodi receperant, quarum scripta venerabili Papæ Innocentio directâ Sanctus Doctor laudat; at cum Innocentius ratum habuisset Africanorum decretum contrâ utrumque hæreticum publicatum, Augustinus Serm. 2. de Verb. Apost. ait: *Jam enim de hac causâ duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt; causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Finitam causam dixit, quòd nullus appellationi aditus pateret postremâ sententiâ à Romanâ Sede promulgatâ; at Pelagiana hæresis post Innocentii decretum evidenter ab Ecclesiâ separata est. Zosimus Epist. 4. ad Africanos scribit: *Grave fuit Lazaro, & Eroti literarum suarum pedisse quos esse? An nesciebant dilectionem vestram ad Sedem Apostolicam relaturam? Huc certò calumniæ compendio navigassent:* Ex quibus patet, in causis fidei Africanos suorum decretorum confirmationem ab Apostolicâ Sede petere consueisse. Hincmarus Rhemensium Antistes, qui sæculo nono vetera Africanorum

jura Galliis afferere volebat, appellationes quoque Ecclesiasticam tantum politiam impedire conatus fuit, ut patet ex Epistolâ 47. scriptâ nomine Caroli Calvi Imperatoris; in causis verò fidei licet Hincmarus Gotteschalcum ad Romanum tribunal provocantem in carcerem detruxit, illius tamen appellationem nusquam irritam dixit, sed malis artibus fecit. Horum omnium ratio est, quòd in causis politicis, quæ regimen Ecclesiasticum spectant, ad pleniorum eorum intelligentiam assequendam testes plurimi requiruntur, qui cum in longinqua difficulte peregrinari possint, indè prosequendæ extrâ provinciam appellationis difficultas emergit; At in causis fidei Romani Pontifices non hominum, sed sacrarum literarum testimonia consulunt, undè de quibuscunque rebus ad fidei dogmata pertinentibus, licet in provinciis per Synodos discussis, integrum iudicium Romano Pontifici reservatur.

Apiarius non lætæ fidei, sed quorundam criminum accusatus, extrâ Siccensis Ecclesiæ confinia vivere jussu Apostolicæ Sedem appellaverat, quare hoc anno VIII. Kal. Junii coram Pontificis legati in Synodo, cui omnium provinciarum Africæ legati intererant, de Apiarii causâ actitatum est. In primis lectum fuit Commonitorium Faustino, ac collegis à Zosimo traditum, in quo duo canones tanquam à Nicenâ Synodo statuti laudabantur, unus, quo Episcoporum totius Christiani Orbis ad Romanum Pontificem appellatio probabatur, alter, quo Presbyteros à diœcesano Episcopo damnatos ad finitimorum Antistitem iudicium provocare posse decernebatur. Porro his auditis Alipius Numidarum Legatus palam negavit recitatos canones in Synodo Nicenâ, cujus tum Græca, tum Latina exemplaria plurima penes Africanos erant, reperiri, quòd cum ab universis assereretur, in hanc sententiam Alipio nostro præeunte ceteri pedibus ivere, ut legati ad Antistites Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopolis ad sinceriores Nicenæ Synodi codices, quos illis in Ecclesiis servari fama erat, investigandos mitterentur. Quàm verò honorificè Alipius, & Augustinus de Apostolicæ Sedis auctoritate eo in Concilio senserint, ex eorundem verbis intelligitur; etenim Legatis Romani Pontificis jura, Patribus Synodi è contrâ Africanæ Ecclesiæ perpetuam consuetudinem prætendentibus, Alipius de iis, quæ in Zosimi Commonitorio continebantur, ita censuit: *Istos tamen tantisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profiteamur;* Hinc Faustinus Legatus dixit: *Nec vestra Sanctitas præjudicat Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc capitulo, sive de aliis.* Eidem sententiæ Augustinus consentiens dixit: *Et hoc nos servaturos profiteamur salvâ diligentiori inquisitione concilii Niceni.* Quare duo illi doctissimi Patres Romanæ Sedis decreta inolitæ Africanorum Ecclesiarum consuetudini re dubiâ anteposenda esse censuerunt. Ex his Scriptoris Sæculorum Augustinensium error corrigendus est, qui ad annum 419. num. 5. tradit, Augustini nomen in hac Synodo non legi, à quâ Alipium etiam absentem facit, nam cum Baronio id temporis Ravennæ eundem moratum scribit, uterque enim non modò eo in Concilio sedit, verum etiam ambo sententiam pronunciarunt, cui facer Senatus albos calculos adjecit, ut patet ex Epistolâ Synodali ad Bonifacium.

Ceterum Innocentius Presbyter Alexandriam, & Marcellus Subdiaconus Constantinopolim Oratores destinati paulò post ex Africâ in Orientem transmiserunt.

tere. Cuspinianus vir magnæ lectionis in Comment. Fast. Cassiodori ad consulatum Monaxii, & Plintæ ait: *Augustinus Epistolam scribit ad Episcopos Græcos, in cuius datis ponit hos Consules: Hæc Epistola latet; certè de Canonibus Nicænis Sanctum Doctorem scripsisse jure possumus suspicari.* Interim Pontificii Legati Apiarium Synodo conciliarant; etenim hic ob tentatam appellationem ex canone 17. Synodi anni superioris fidelium in Africâ communionem privatus fuerat, at cum patrum criminum veniam supplex petiisset, intercedente præsertim Faustino Episcopo Potentino, absolutionem impetravit hac conditione, ut in Trabacenâ Ecclesiâ procul à Siccensi territorio degeret. His verò peractis Legati cum literis Synodi Africanæ, quæ etiamnum extant, in Italiam reversi sunt, ut ex Gestis Synodi apertè colligitur, nam in Cod. Concil. Africae cap. 100. in decretis exaratis III. Kal. Julii hæc leguntur: *Die sequenti per fratres nostros Faustinum Episcopum, Philippum, & Asellum Presbyteros venerabili Fratri, & Coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus;* in fine verò Epistolæ synodalis ad Bonifacium Legati Apostolici dicuntur *secum ferre gesta in Synodo, quæ hic adnotavi, quòd nonnulli scripsere, Legatos usque ad Pontificatum Cælestini in Africâ moras traxisse, cum tamen paulò antè mortem Zosimi illuc appulsi, octavo postea mense transacto in Italiam æstate jam incumbente redierint.*

In hac Synodo lecti sunt canones præteritorum Conciliorum, quæ tempore Aurelii Primatis in Africâ peracta sunt; in primis verò recitata est Synodus Hipponensis habitata Theodosio Aug. III. & Abundantio Concil. anno 393. quando Augustinus adhuc presbyter publicè de symbolo coràm Patribus disseruit. Hæc ergo est prima synodus sub Aurelio celebrata, undè Synodus, quæ indicta legitur Valentiniano IV. & Theodosio Concil. Carthagine perperam Aurelii nomen exhibet, ac mendosa prorsus est. Pater Lupus in quæstione quodlibeticâ de Origine Augustinensium, cum in eâ Synodo legeret Genethlium, ac Aurelium velut collegas confessui præsidentes, suspicatus est, adhuc superstiti Genethlio Primati Carthagenensi suffectum fuisse veluti coadjutorem Aurelium; sed id sine teste gratis aseritur, primaque Synodus ab Aurelio indicta appellatur Hipponensis, quæ anno 393. celebrata est. Præterea in Actis synodalibus Alipius, & Fortunatus, itemque *Valentinus prima sedis provincie Numidiæ* nominantur, cum Alipius anno tantum 394. Tagastensis Ecclesiæ regimen suscepit, Fortunatus anno 398. Cirtæ primum federit, Valentinus verò post annum 416. Numidarum Primas evaserit, quæ omnia Lib. 2. cap. 7. nobis ostendentur. Chiffletius in calce Opusculorum nostri Fulgentii Ruspensis è M.S. codicibus germana illius Concilii acta vulgavit, in quibus laudatorum proximè Patrum nomina non leguntur; Consules verò in titulo ponuntur Valentinianus IV. & Fl. Neoterius, qui magistratum gesserunt anno nostræ epochæ 390. video tamen, numeros canonum ibidem descriptorum non convenire cum iis, quos Ferrandus Diaconus Carthagenensis appellat, etenim canones VII. & IX. apud Ferrandum sunt Chiffletio IX. & XI. Sed his omissis, hoc pro comperto habeo, primam Synodum sub Aurelio Genethlii successore esse Hipponensem, quæ primo loco in recensione laudatâ Conciliorum nominata fuit.

Deindè repetita fuere decreta aliarum XVI. Synodorum usque ad annum 419. ab Aurelio celebratarum, quarum ultima relecta fuit, quæ superiori an-

no contra Pelagianos habita est; hæc autem continebat antè alios octo canones contra Pelagianos, qui iterum cum reliquis & lecti, & novâ subscriptione firmati sunt. Porro ex iis synodalibus decretis constatus est Codex ille famosus Conciliorum Africae à Dionysio Exiguo codici canonum Occidentalis Ecclesiæ insertus, & à Joanne C.P. vulgò Scholastico Græco Nomocanoni intextus, in Conventu Trullano Can. 2. ut membrum codicis canonum Orientalis Ecclesiæ approbatus, atque à Theodoro Balsamone græco, & à Justello latino etiam sermone cum notis in lucem emissus. Jacobus Usserius cap. 10. de Antiq. Eccles. Britan. pag. 293. putat, in hac plenaria Synodo quædam hoc anno 419. contra Pelagianos nominatim sancita fuisse, quòd Augustinus Epist. 47. ad Valentinum scribit: *Quod Pape Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius Orbis Episcopos, & quod posteriori Concilio plenario totius Africae contra ipsum errorem breviter constitutum:* ubi palam Augustinus duo plenaria Africana Concilia laudat, à quibus Pelagianos damnatos dicit; at anno tantum 418. in plenaria Synodo hæretici illi primum proscripti sunt, quare in Synodo hujus anni 419. novis contra eosdem statutis publicatis iterum damnati fuere; Ita Usserius; sed planè hallucinatur, nam Augustinus suo ordine cuncta in Pelagianâ causâ gesta recenset: in primis ibidem literas Synodales Numidarum, & Proconsularium Episcoporum ad Innocentium laudat, ejusque ad eosdem rescripta, postea Concilii Africani literas ad Zosimum, dein Pontificis encyclicam Epistolam, alterumque subsecutum in Africâ Concilium; at Concilium anno superiori contra Pelagianos celebratum fuit post acceptam Zosimi encyclicam, quòd si & hoc anno quidpiam contra Pelagianos eosdem specialiter statutum fuisset in plenaria Synodo Africanâ, ut contendit Usserius, jam à duobus plenariis Conciliis post memoratas Zosimi literas canones contra eosdem hæreticos editi fuissent, ejus oppositum ex Augustino colligitur; Quale verò Sanctus Doctor Concilium ante latum à Zosimo contra Pelagium anathema intelligat, jam satis explicuimus cap. 14.

Legatis Apostolicis Romam reversis soluta est Synodus, ac sub initium Julii mensis Augustinus Hipponem rediit. Scribit in Proemio libri de VIII. quæstionibus ad Dulcitium: *Per Pascha quippè hoc anno, quo Dominicus ejus fuit Tertio Kal. Aprilis à Carthagine mihi missas literas tuæ dilectioni accepi, post eos autem dies sanctos confestim Carthaginem sum profectus.* Hoc anno celebratum est Pascha III. Kal. Aprilis Cyclo Solis VIII. Lunæ II. lit. E. addit verò ibidem: *Post tres menses redire permisus sum.* Ineunte ergo Julio mense suis restitutus est, quindecim verò diebus componendis Hipponensium rebus insumptis, literis antè quatuor ferè menses à Dulcitio acceptis respondit. Fuerat is ab Honorio Imperatore in Marcellini locum contra Donatistas in Africam delegatus, qui cum Augustino singulari amicitia junctus esset, octo quæstiones Sancto Doctore sibi solvendas proposuit. Augustinus cum vetera sibi dubia objici animadverteret, nihil novi elucubrare statuit, sed ex editis olim abs se voluminibus responsiones ad singulas dubitationes excerptæ, eâ facti ratione reddidit: *Ut nec studio tuæ sanctitatis deessem, quod mihi est gratissimum, nec alio modo eadem dicere cogerer, quod mihi esset laboriosissimum, nec te aliquo amplius adjuvaret.* Porro in solutione tertiæ quæstionis meminit Epistolæ ad Mercatorem datæ contra Pelagianos:

In qua-

In quadam Epistolâ, inquit, quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem, quæ incipit: Procul dubio notissimum vobis, cum me consulisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant, mortem esse peccato retributam, quatenus disputaverim, in subditis lege. Hic est celebris ille Marius Mercator Pelagianorum hostis acerrimus, cujus scripta toties in hac historiâ laudamus, qui anno 429. Constantinopolim profectus Juliani, ac aliorum Pelagianorum Exepiscoporum apud Imperatorem conatus eludit, ut Lib. 2. cap. 5. dicemus. Hæ quidem literæ Sancti Patris ad Marium Mercatorem interiere, illarum tamen meminit Possidius in Indice. Et quidem plures Epistolas scripsit Augustinus contra Pelagianos, quæ quo anno data sint, non liquet; hæc inter insigniores sunt Epist. 144. ad Anastasium, Epist. 200. ad Asselicum Episcopum Tufuritanam ex cap. 120. Collat. 1. Carthaginensis.

In eodem libro ad Dulcitium in solutione secundæ quæstionis recitatur Sancti Doctoris Enchiridion. Laurentius Romanæ Ecclesiæ Primicerius Augustini famâ permotus petiit à Sancto Doctore Enchiridion, hoc est, veluti omnium credendorum summarium quod manibus posset astringi, non quod armaria posset onerare, ex Augustino ibidem cap. 6. quod nempe contineret, quid juxta dogma Catholicum sequendum, quid ob plurimas subortas hæreses fugiendum, quid ab Orthodoxâ fide probaretur, improbareturve. Augustinus illâ occasione Pelagianam hæresim solidissimè confutavit, nam per plura capita post vigesimum quintum in eandem toto impetu invecus docet, nasci hominem originali maculâ infectum, nequè reparari amissum nitorem meritis, sed gratiâ Dei; Fidem à nobis ortum non habere, sed esse donum Dei, totum illi dandum, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandum, & adjuvat præparatam; Deum prævenire nolentem, ut velit, subsequi volentem, ne frustrâ velit, atque hæc usque ad cap. 34. indè hæresim, quam postea Nestorius docuit, latissimè insequitur, illam enim in Leporio olim damnaverat, & cum Nestoriana hæresis ex Pelagianâ ortum traxerit cap. 36. utramque sic eruditè confutat: *Hic omnino granditer, & evidenter Dei gratia commendatur; Quid enim humana natura in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cæpit, non aliud cæpit esse, quam Dei filius, & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus, ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro, ita sit Christus una persona Verbum, & homo. Undè naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic, & sola Dei gratia fideliter, & sobriè considerantibus evidenter ostenditur.* Quo uno ictu Pelagiana hæresis, ejusque filia Nestoriana conficiuntur. Aureus planè Liber ille est, quem Sanctus Doctor in Indice librorum ab se retractatorum lib. 2. cap. 63. nominari voluit: *De Fide, Spe, & Charitate*, cujus rationem vide apud eundem cap. 3. laudati operis; Et licet Sanctus Pater Enchiridion post editos libros contra Julianum locaverit in libris Retractationum, illud tamen scriptum fuisse antè volumen VIII. Quæstionum ad Dulcitium constat,

nam, Quæstione secundâ ait: *Dixi etiam talè aliquid ad Laurentium: ibique ex cap. 109. Enchiridii sententiam longiorem exscribit, quare ultra annum 419. liber ad Laurentium minimè scriptus fuit.*

Dum hæc, ac pleraque alia in Africâ ab Augustino scribuntur, Innocentius, ac Marcellus felici navigatione usi Attico, ac Cyrillo Africanorum Antistitum postulata exposuerant, à quibus benigne excepti exemplaria canonum Nicænorum ex antiquioribus codicibus exscripta unâ cum utriusque Episcopi literis ad Africanam Synodum deferendis acceperunt, nullâque morâ interpositâ eadem maria rementis Carthaginem rediere. Hic tamen nobis corrigendus venit error, qui in literas Cyrilli ad Aurelium, Augustinum, & Collegas irrepfit, antequam ad alia gradum faciamus; Hæc ibidem leguntur: *De Paschâ verò, ut scripsistis, nunciamus vobis XVII. Kal. Majas nos futurâ indictione celebrare.* Bucherius in Comment. ad Can. Paschal. Victorii Aquitani cap. 1. & 3. scribit in melioribus Codicibus legi IX. Kal. Maii, ex quo paschali caractere colligit designari Pascha anni 444. undè pag. 96. ait: *Idem probat Cyrilli ad Synodum Carthaginensem Epistola anno Christi 443. scripta.* Hic auctor totus hospes apparet in Ecclesiasticâ Historiâ, nam anno 443. gemebat sub Genserico Vandalo Carthago, objerat antè tria lustra Aurelius, ejusque post Capreolum successor Quodvultdeus in exilium ab Ariano Rege deportatus fuerat ex Victore Vitenfi lib. 1. de Persecutione Vandalicâ; cum verò Africani literas ad Cyrillum pro impetrandis exemplaribus canonum Nicænorum anno 419. per legatum miserint, feram nimium responsum anno 443. Cyrillus reposuisset viginti quatuor annis ab acceptâ Epistolâ elapsis; quare nota illa paschalis mendosa est, erroris verò caulam paucis explicamus. Cyrillus græcè quidem scripserat, atque his planè verbis Pascha anni sequentis designarat, scribens celebrandum τῆς τρίτης ἡμέρας τῆς Φωσφῶνις ἡμέρας: nempe die tertiâ & vicesimâ mensis Aprilis, interpres verò transtulit IX. Kal. Majas puri puti Grammatici functus munere, cyclosum Ægyptiorum à Latinis diversitate minimè prænotatâ. Pharmutus apud Ægyptios quinque diebus Latinorum Aprilem antecedit; scribit Sanctus Ambrosius in Epistolâ de paschalis celebrationis ratione ad Episcopos per Æmiliam: *Primus mensis apud Ægyptios dicitur Pharmuthi, & incipit VI. Kal. Aprilis, & finitur VII. Kal. Maii; & antea, si quartadecima Luna in Dominicam inciderit, adjungendam ait hebdomadam alteram, sicut & septuagesimo sexto anno ex die imperii Diocletiani factum est; Nam tunc vigesimo octavo die Pharmuthi mensis, qui est IX. Kal. Maii Dominicam Paschæ celebravimus.* Epocha Diocletiani incepit anno 284. quare anno 360. Pascha ab Alexandrinis peractum fuit 28. Aprilis, à Latinis verò die 23. Cyclo Solis V. Lunæ XIX. lit. B. A. cum quartadecima Luna inciderit die 16. Aprilis, quæ erat Dominica. Quare dies vigesima tertia Pharmuthi apud Alexandrinos correspondebat diei decimæ octavæ Aprilis apud Latinos, eademque dies, quæ est apud nostrates XIV. Kal. Maii, est apud Ægyptios IX. Kal. Maii. Ex caractere ergo paschali laudatâ Epistolæ Sancti Cyrilli designatur Pascha anni 402. quo celebrata fuit dies resurrectionis Domini IX. Kal. Maii Alexandria, Romæ verò XIV. Kal. ejusdem mensis Cyclo Solis IX. Lunæ III. lit. D. C. Antiqui Interpretes rectè quidem juxta Latinorum cyclos Epistolam Cyrilli è græco vertentes scripserunt

tere XIV. Kal. Majas, sed ex Amanuensium imperitiâ, ac negligentia priores duæ unitates in inferiori parte connexæ VII. reddidere, quem mendosum etiam numerum Theodorus Balsamon, alique etiam Græci, & Latini omnes Conciliorum collectores huc usque secuti sunt. Hoc Pascha Sanctus Cyrillus Homiliâ octavâ designavit, in cujus calce ita fatur: *ἡ πρώτη ἡμέρα τῆς ἑβδόμης ἑπομένης ἡμέρας ἡμετέρας τῆς τετάρτης ἐστὶν ἡμέρα τῆς αὐτῆς ἑβδομῆς ἡμέρας, &c. Celebrantes verò Pascha illucescentē deinceps Dominicâ die tertiâ, & vicesimâ ejusdem mensis Aprilis.* Et hæc de Cyrilli ad Africanos Epistola, quæ scripta est antè Septembrem præsentis anni 419. nam ibidem indicitur Pascha futurâ indictione celebrandum, indictio verò III. quæ fluebat tempore Paschatis anno 420. incœperat initio Septembris anno superiori.

Cæterùm Africani ubi has à Cyrillo, itemque alias ab Attico literas unâ cùm canonibus Nicænis ex autographis exscriptis accepissent, neque in iis duo illi canones, quos uti à Nicænâ Synodo editos Apostolici Legati publicaverant, minimè legerentur, decrevere eodem iterum legatos Innocentium, & Marcellum cum delatis ex Oriente exscriptis Romam ad Bonifacium mittere; in antiquis Codicibus hæc leguntur: *Exemplaria Concilii Nicæni directa sub die VI. Kal. Decembris post consulatum gloriosissimorum Imp. Honorii XII. & Theodosii VIII. Bonifacio urbis Romæ Episcopo.* Ex quibus metachronismus Baronii patet hæc de Innocentio, & Marcello Legatis Africanis scribentis ad annum 419. pag. 450. *Antequam legati redirent, contigit, Bonifacium mori, & in ejus locum sufficere Cælestinum:* Etenim hoc ipso anno Carthaginem redire, & antè Decembrem Romanâ legatione perfungi jussi sunt, cur enim legati anno 419. ex Africâ profecti pleno quadriennio Alexandria, & Constantinopoli usquè ad annum 423. quò VIII. Kal. Novembris Bonifacius decessit, morati fuissent? Sed & hoc ipsum testatur in literis ad Cælestinum Synodus Africana: *In Conciliis, inquit, verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, à Sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrina Ecclesiæ, & à venerabili Attico C. P. Antistite ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directæ sunt, venerabilis memoria Bonifacio Episcopo Prædecessori vestro à nobis transmissa sunt.* In eam verò opinionem vir insignis descendit, quòd legens proximè recitatam ad Cælestinum Epistolam, vidit adhuc sub Cælestino in causâ Apiarii, Faustinum legatum degisse Carthagine, undè ejusdem causæ cognitionem usquè ad Cælestini pontificatum protractam existimavit. Sed bis Faustinus in ejusdem Apiarii causâ Legatus in Africam venit, primò quidem anno 418. sub finem pontificatus Zosimi, ac paucos menses Carthagine moratus, cùm Apiarium Episcopis Africanis conciliaisset, Romam reversus est. At idem Apiarius Cælestino Pontifice immanium criminum apud Tabracenos patratorum iterum accusatus, damnatusque, Cælestini patrociniū imploravit, à quo Ecclesiasticæ communioni restitutus fuit, misso in Africam eodem Faustino Legato, ut cum Episcopis Apiarii causam retractaret; Ille verò conscientia reæ stimulis actus universa crimina, quæ diu perfrictâ fronte negaverat, tandem confessus fuit, quæ omnia narrantur in Epistola Synodi Africanæ ad Cælestinum.

Hic verò ea statim cogitatio animum pulsat, cur Romani Pontifices duos superius memoratos canones uti Nicænos publicarint, cùm constet esse Sardicen-

ses? itemque cur Africani Antistites Sardicensis Concilii canones ignoraverint, cùm tamen Sardicæ sederit cum aliis, ex Africâ Collegis Gratus Carthaginensis, qui etiam in Synodo plenariâ abs se postea in Africâ celebratâ Canone 5. Sardicensis Concilii meminit? Doctissimi Cardinales Baronius, ac Bellarminus, quos postea ceteri secuti sunt, respondent, Synodum Sardicensem non fuisse nisi clariorem Nicænæ explicationem, undè nil mirum, si sub nomine Nicænæ proposita fuerit. Illud sanè mirum videtur, Africanos Sardicensem Synodum à priori Concilio Carthaginensi laudatam ignorasse; immò illam non tantum ignorarunt, verum etiam putarunt, eandem fuisse ab Arianis celebratam; horum testis est Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 34. scribens: *Disce ergo, quod nescis, sardicense Concilium Ariatorum fuit, quod notum jam diu est.* Ariani Episcopi Sardicâ profecti Philippopolim secessere, ibique novum fidei Symbolum edidit, scribentes postea & ipsi encyclicas, in harum Epigraphæ Donatum Carthaginensem cum aliis ejusdem farinae Episcopis nominarunt, ita enim illorum Epistola inscribitur: *Gregorio Alexandria Episcopo, Amphioni Nicomedia Episcopo, Donato Carthaginis Episcopo &c. qui ad civitatem Sardicam congregati Concilium celebravimus in Domino salus.* Tom. 3. Concil. Edit. Regiæ pag. 82. Harum literarum meminit Sanctus Doctor Epit. 163. ad Eleusium, Glorium &c. quas cùm arbitraretur, scriptas fuisse à Sardicensi Concilio, idem in titulo Ariatorum fraude prænotatum fuerat, Sardicensem conventum ab Arianis habitum censuit, non enim Sardicensem Synodum à Philippopolitano conventu distinguere potuit, cùm veri Sardicensis Concilii canones id temporis Africanos laterent, ac Epistola ficto Sardicensis consensu titulo prænotata in sinistram de memoratâ Synodo opinionem eosdem induceret. Immo Africani non solum Sardicenses, verum & ipsos Nicænos canones diu ignorarunt; etenim Augustinus à Valerio Hipponensi Episcopo in confortium dignitatis adscitus fuit contra canonem Nicænum 8. statuentem: *Ne in unâ Civitate duo Episcopi probentur existere;* Aurelius tamen totius Africæ Primas id permisit teste Possidio lib. de Vita Sancti Augustini cap. 8. & Megalium Numidiæ Primas eundem consecravit, facto *transmarinis, & Africanis Ecclesiæ exemplis* comprobato, quod etiam testatus est idem Augustinus in Epistola 34. ad Paulinum: *Quod in se ipso, scribit de Augustino Possidius, postea fieri non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit, & scripsit, propter Concilii universalis vetitum, quod jam ordinatus didicit.* Undè auctor fuit, ut Episcopo initiando Synodalia statuta proponerentur.

Hic nobis impudentissima calumnia, quam M. Antonius de Dominis lib. 4. de Republ. Eccles. cap. 8. num. 28. Augustino importat, rejicienda est: *Africana, inquit, Ecclesia Romano Papatui vehementer resistit tempore Augustini, Augustino etiam ipso cum reliquis adversus Papatum reclamante;* Pro Africanis enim itabat antiquissima consuetudo, quâ nullus Presbyter, Diaconus, aut inferioris ordinis clericus ad ad transmarina judicia unquam provocaverat, quæ etiam canone Synodali confirmata fuerat; ignorabant Africani canones Sardicenses, undè duo illi canones, quos Legati Apostolici pro Romanæ cathedræ privilegiis asserendis proferebant, nusquam ab Africanis inventi fuerant, non in Nicænâ Synodo, à quâ reapte conditi non fuerant, non in Sardicensi, quam ignorabant: indè ergo orta dissensio inter Africana-

nam,

nam; & Romanam Ecclesiam, in qua quidem Africani Pontificio primatui minimè restitere, immò Augustinus, uti ostendimus, Zosimi decreta inolitæ apud Afros consuetudini præponenda esse censuit. Etiamnum ex Adriani IV. Pontificis per Innocentium III. roborato privilegio inferior Siciliae clerus Romanam appellare non potest, & tamen non dubitat de primatu Romano; Profectò uti superius observavimus, Africani appellationes in rebus fidei admiserunt. Episcopis tamen Africanis licitum fuisse ad Romanam sedem appellare tradit disertè Augustinus Epist. 163. ubi agens de sententiâ latâ contra Cæcilianum à Secundo Tigitano Numidarum Primatè ait: *Neque enim de Præbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegiarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum causam suam integram reservare.* Præterea cum Antonius Fussalensis in Numidiæ Synodo damnatus Romanum Pontificem Bonifacium appellasset, isto verò interim defuncto Cælestinus eandem appellationem admisset, Augustinus Epist. 261. ad Cælestinum dedit, quæ enixè eundem deprecatus est, ne Antonius, si in illius favorem iudicaret, cum militari appariturâ Fussalæ restitueretur, non enim se pati posse dicebat, *publicas potestates, & militares impetus tanquam executores Apostolicæ Sedis sententiam.* Appellationes verò Episcoporum in eadem Epistola palam admittit: *Existat, inquit, exemplo ipsâ Sede Apostolicâ iudicante, vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos.* Hæc luculentissima Augustini testimonia posuerat Cardinalis Baronius, undè Apostata satis intelligere poterat, quali Augustinus esset ergà Romanam Sedem obsequio. Michael Roussellius lib. 4. Hist. Jurisd. Pont. pag. 499. putat, laudatas Africanorum ad Cælestinum literas esse suppositas, quòd in illis etiam Episcoporum Africae ad Romanum Antistitem appellationes interduntur; At veras easdem arbitror; Africani enim jura extendere conabantur, sed Augustinum in aliâ fuisse sententiâ ex memoratâ Epistola 261. nobis probatum est. Hæc quidem postea evenere, quæ tamen hic à nobis recitata sunt, quòd plenior Africanarum appellationum, de quibus hoc anno in Synodo ab Aurelio, Alipio, Augustino, aliisque actitatum fuit, notitia haberetur. At secutis temporibus non semel apud Romanos Pontifices Africani appellationes persecuti sunt; pertinebat enim Africa ad Patriarchatum Romanum, undè Urbis Antistitem uti supremum Ecclesiasticæ rei Principem quilibet jure optimo poterat ex eadem Provinciâ appellare. Sanctus Leo Magnus Epist. 85. ad Mauritianos ait; *Causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri, cui multum, & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum iudicium provocasset, immeritò eum pendente negotio communionem suspensum &c.* Circumfertur Epistola Bonifacii II. in qua hæc leguntur: *Aurelius enim præfata Carthaginensis Ecclesie olim Episcopus cum collegis suis (instigante Diabolo) superbire temporibus Prædecessorum nostrorum Bonifacii, atque Cælestini contra Romanam Ecclesiam cepit.* Scripta est hæc Epistola ad Eulalium Antistitem Alexandrinum, cui narrat, Eulalium Episcopum Carthaginensem postliminio tandem in Apostolicæ Sedis gratiam damnato Aurelii, ac successorum facto rediisse. Verùm hæc literas commentitias esse rectè observavit Baronius ad hunc annum 419. pag. 456. quòd nullus tunc sederet

Alexandriæ Eulalius, sed Timotheus, itemque quòd tempore ejusdem Bonifacii regnante Gelimere Vandalorum Rege nec unus esset reperiri in Africa Catholicae communionis Episcopus. Primum quidem optimè rem conficit, addo etiam, nec Eulalium tunc sedisse Carthagine, sed Bonifacium, qui anno 523. electus fuit illius Ecclesie Antistes, & anno 535. ex Victore Tunonensi decessit; Alterum verò, quòd insignis Historicus scribit, admitti nullâ ratione potest, vivebat enim id temporis Bonifacius Primas Carthaginensis, Liberatus Primas Byzacenus, itemque Fulgentius noster Ruspensis, cæterique Africanarum Ecclesiarum Antistes, non enim Gelimer illos in exilium deportandos iussit. Præterea in eisdem literis scribit Bonifacius, unâ cum Eulalii Epistola se mittere etiam Justinii clementissimi Principis Orientis sacrarum literarum exemplaria; At biennio, antequàm Bonifacius Pontificatum iniret, Justinus & vivendi, & imperandi finem fecerat, obiit enim anno 527. Kal. Augusti, Bonifacius verò in Pontificem inauguratus est anno 529. IV. Kal. Novembris. Fœdis ergo mendaciis tota illa Epistola scater, neque Alipius, Augustinus, cæterique Collegæ cum Primatè Aurelio appellationibus transmarinis se se opposuere instigante Diabolo, sed antiquissimâ Africanarum Ecclesiarum consuetudine moti, quam ægrè ferebant Apiarii scelestissimi hominis conatibus primum infringi.

CAPUT XVIII.

Julianus Episcopus Eclanensis novus Pelagianus. Ejusdem Patria, Parentes, Nuptia, Episcopatus, Hæresis exponuntur.

Cum liber Sancti Augustini de Nuptiis, ac Concupiscentiâ delatus fuisset in Italiam, passimque in varia exemplaria spargeretur, Julianus Eclanensis Episcopus eundem quatuor libris impugnavit. Fatetur Hæreticus apud Augustinum lib. 1. Oper. Imperf. cap. 18. vivente Zosimo, nullum se in Pelagianâ causâ librum scripsisse, & in his quatuor Eulalianum schisma Catholicis objicit, quòd cum præfenti anno contigerit, vel hoc ipso eodem anno, vel sequenti Julianus manum stylo admovit, judicatam causam per summam audaciam retractaturus. Cum verò hic linguarum peritiâ, ingenii acumine, orationis elegantia, librorum copia, ac conceptâ præsertim contra Augustinum rabie cæteros Pelagianos longo post se intervallo reliquerit, ad alia properantem in sui consideratione remoratur. De Juliano Patriâ, ac sede Episcopali inter Scriptores non convenit, & uti olim septem urbes de natali solo Homeri poetarum Græcorum Principis contenderunt, ita Juliano septem seu patrias, seu sedes Ecclesiasticas assignari video. Gennadius in lib. de Script. Illustr. cap. 45. Julianum Capuanum Episcopum dicit, cui Baronius, Ughellus, aliique frequentius adhæserunt. Gelasius in Decreto de libris apocryphis, itemque Beda in Præfat. in Cantica *Celanensem* eundem faciunt. Petrus Diaconus in fine lib. de Incar. & Grat. *Edanensem* illum vocat. Vignierius in Præfatione ad Opus Imperfectum Sancti Augustini tradit, eundem natum *Celia* in Apuliâ. Holstenius, ac Rosveydus, hic in Notis ad carmen 14. Paulini, ille in Notis ad Italiam Cluverii *Celennensem* in Campaniâ Julianum pronunciant. Nonnulli ex Prosperi depravato Chronico *Artelensem* fuisse contendunt; est autem Atella Neapolim

Neapolim inter, & Capuam, *Aversa* Italis vulgò nuncupata. At ex melioribus codicibus Scaliger, ac Pontacus ita in Prospero legunt ad consulatum Theodosii Augusti XVII. *Hac tempestate Julianus Eclanensis jactantissimus Pelagiani erroris assertor &c.* Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 6. *Heracleensem* illum dicendum esse suspicatur. Has inter opiniones non recenseo, quòd lib. 2. de Vitâ Sancti Augustini Gallicè scriptâ à Claudio Maimburgio cap. 11. Julianus Patavii, ubi hæc ipsa conscribimus, Episcopus asseratur, Typographi enim fortè error fuit. Verùm ex Mario Mercatore Juliani Antagonistâ lis ex parte finem sortitur, nam pag. 13. Codicis Vaticanî cap. 9. laudati ait: *Simul admonere volens, Julianum etiam Episcopum oppidi Eclanensis hæreticum Pelagianum, seu Cælestianum hunc secutum esse Theodorum &c.* Quare Prospero concinit, qui itidem & ipse Juliano convixit; & sanè codices Gelasii, Bedæ, ac Petri Diaconi depravati sunt unius literæ transpositione, vel conjunctione; etenim in voce Celanensi e per imperitiam Amanuensium post e ponitur, quæ litera si præponatur ee lanensem leges; in codice verò Petri Diaconi, ubi Edanensis appellatur litera d dividenda est in e, & l, quæ perperam junctæ errorem continent: hæc minuta adnotare libuit, ut ex communi veterum sententiâ Julianus Eclanensis Episcopus appareat. Illustrissimus Suaresius Augustini studiosissimus in Dissert. 2. de Opere Imperfecto Sancti Doctoris pag. 19. scribit, Julianum *Eclanensem Episcopatum obtinuisse*, qui quidem doctissimus, raræque eruditionis Antistes Juliani sedem mihi primitus indicavit, antequam in Mercatoris codicem incidissem. Fuit Eclanum, seu Eclanum antiqua Hirpinorum urbs Plinio, Ptolomæo, Ciceroni, aliisque memorata, distans Benevento ex itinerario Antonini M. P. XV. seu ex tabulis Peutingerianis XVI. Camillus Peregrinus in eruditissimis Commentariis de Ducatu Beneventano pag. 15. scribit, Eclanum postea Frequentum dictum fuisse, quod anno 986. terremotu dejectum, ut ait Ostiensis in Chronico, dein ob bella propemodum civibus viduatum anno 1465. die 7. Maji Sedem Episcopalem amisit, atque in Abellinensis Episcopi jurisdictionem transiit, ut ex Tabulis Ughelli tomo 8. Italiæ Sacræ intelligitur. At Lucas Holstenius in Frequenti territorio propè Mirabellam fuisse Eclanum contendit, ubi etiamnum antiquorum mœnium ruinæ visuntur, in quibus nobiles statuæ repertæ sunt, & à Prorege Neapolitano in Hispanias transmissæ; addit posteriori ævo Quintodecimum fuisse appellatum, cujus mentio fit in Actis Sancti Mercurii Martyris, ac postea à Constantino Græcorum Imperatore funditus eversum anno 669. in Notis ad pag. 1203. Italiæ Cluverii. Verùm in Chronico antiquo Beneventano Monasterii Sanctæ Sophiæ in calce Tomi 9. Ughelli non semel Quintodecimi mentio habetur, pag. 620. *Qui habitare videntur in Decimo-Quinto loco, qui Pontilia dicitur*; Insuper quædam donatio ibidem recitatur facta anno 17. Radelchis Principis Longobardi indictione 3. Julio mense; Radelchim Beneventi dominum Leo Ostiensis lib. 1. cap. 31. memorat anno 851. indictio verò tertia currebat Julio mense anno 855. quo anno adhuc extabat Quintodecimum. Eclanum verò Quintodecimum dictum fuisse cum eodem Holstenio affirmo; is enim ea loca præsens diligentissimè exploravit, & distantia à Benevento hoc ipsum comprobatur, nam Frequentum inde M. P. XII. circiter distat, Eclanum verò XV. undè Quintodecimum

postea appellatum. Certum tamen est, Episcopalem Sedem Eclano destructo Frequentum, vulgò *Frigento*, fuisse translata, ut planè idem antea Eclanensis, qui postea Frequentinus Episcopus fuerit. De patriâ verò Juliani non constat; Attellanensem fuisse scribit Baronius ad Annum 430. Num. 6. Verùm non in Campania, ubi Attella sita est, sed in Apuliâ eundem natum disertè tradit Sanctus Augustinus lib. 6. Oper. Imperf. cap. 18. *Neque enim, inquit, quia te Apulia genuit, ideo Penos vincendos existimas gente, quos non potes mente.* Cum verò sciamus, urbes antiquitatis doctissimos cives in Episcopos elegisse, Eclani pariter natum Julianum suspicor; alteraque conjecturâ id ipsum indicatur, quòd Æmilius Beneventanus filiam Julianum in vicinâ Urbe degenti, ac proinde sibi satis, superque noto despondit; Neque quis repugnet, quòd Augustinus gente Apulum Julianum dixit, cum Eclanum in Campaniâ fuerit, ut ex itinerario Antonini patet, ubi ait; *ACapua Equo Tutico M. P. LIII. ubi Campania limitem habet*, distat autem Equus Tuticus à Benevento intrâ Hirpinos M. P. XXI. Nam Hirpini medii sunt inter Campaniam, & Apuliam, undè modò Campaniæ, modò Apuliæ deputati. Servius Lib. 7. Æneid. Hirpinos intrâ Apuliam locat, & Vossius lib. 1. Hist. Pelag. c. 6. Eclanum Apuliæ Peucetiae oppidum dicit, laudatque *veteres, & recentiores Geographos*; Ex divisione verò Adriani Eclanum, & Beneventum ad Campaniam pertinebant, undè leguntur Beneventi Epigrammata inscripta Consularibus Campaniæ.

T. AVONIO MARCELLINO.
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO DIGNISSIMO. OB. IN
SIGNIA BENEFICIA. QUI
BUS. LONGA. POPULI. TÆ
DIA. SEDAVIT. UNIVER
SA. PLEBS. BENEVENTA
NA. CENSUIT. PONENDAM.

Item aliud.

CLAUDIO JULIO
PACATO. V. C. CONS. CAMP.
OB. ÆQUITATEM JUDICII
ET PATROCINIA. JAM. PRIVATI.
ORDO. BENEVENTANUS
PATRONO. POST FASCES DEPOSITO
CENSUIT COLLOCANDAM.

Prior inscriptio recitatur à Grutero pag. CCCLXXI. altera verò pag. CCCCXXV. Hinc Julianus etiam à Bedâ dicitur *Episcopus à Campania*, & in Codicibus melioribus Gennadii teste Peregrinio Julianus Episcopus non Capuanus, sed Campanus asseritur, Trithemius etiam Julianum Episcopum Campanum vocat; undè & Prosper Julianum itidem Campanum appellat in Epigrammate contra Sancti Augustini detractorem.

*Aut hunc fruge suâ æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.*

Quâ phrasi Pelagium, ac Julianum designavit. Atque hæc de Patriâ, & Ecclesiâ Juliani Episcopi. Idem nobili familiâ ortus fuit, patre Memorio, matre Julianâ, à quâ & nomen sortitus est; Hæc illi exprobrat Marius Mercator pag. 5. ejusdem Codicis. *Tunc senex, ac beata recordationis Memoris Episcopi filius? Tu Juliane primario semina, & quâ nihil honestius inter reverendissimas matronas invenias, utero editus? Neque hinc placet correctio Baronii, qui non Memorem, sed Memorium Juliani Patrem dicendum*

endum contendit, nam Augustinus quoque, & Paulinus, ut patebit, eundem Memorem etiam nominarunt. In sacris Captianæ Ecclesiæ tabulis Memorius inter illius Urbis Episcopos recensetur, quod in Italiâ Sacra Ughelli apparet, ex quibus tamen Memorii successor Julianus expungendus est, ac inter Frequentinos Episcopos, ut eâ tamen dignitate indignus, reponendus. Erat Memorius Sancti Augustini inter paucos amicus, ut constat ex Epistola Sancti Doctoris 131. ad illum scriptâ, alterius etiam Epistolæ ad eundem datæ mentionem facit Possidius in Indiculo. Audiatur Augustinus lib. 1. contra Jul. cap. 4. *Ego certe beatæ memoriæ Memoris Patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat &c.*

Julianus adolescens latinis juxtâ, ac græcis literis operam dedit teste Gennadio laudato cap. 45. Rhetor peritissimus dicitur à Beda in Præfatione ad Cantica, additque ex conjecturâ Vossius, ut Romanus Demosthenes haberetur vulgò; Et sanè ejusdem eloquentiam pomposam, ac phaleratam fuisse ex fragmentis Operi Imperfecto Sancti Augustini insertis intelligimus. Juvenis nobilissimam uxorem duxit Emilii Episcopi Beneventani filiam, qui dudum ab Innocentio Papa in causâ Chrysofomi cum literis ad Anysium Thesalonicensem totius Illyricianæ dioceseos Apostolicæ Sedis Vicarium, & ad Atticum C. P. missus fuerat, ac Eudoxiâ jubente in carcerem detrusus quarto demum mense dimissus re infectâ in Italiam redierat, quæ pluribus prosequitur Metaphrastes apud Surium die 27. Januarii cap. 128. de Vitâ Chrysofomi. Celebres sanè evasere Juliani nuptiæ ob epithalamium, quod illarum occasione cecinit Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus. Do nonnulla carmina, quorum priora sic corrigenda arbitror.

Insula Pontifices divino jungit honore,

Humano pietas jungit amore Patres.

Hanc Memor officii, nec immemor ordine recto

Tradit ad Emilii pignora cara manus.

Ille jugans capita amborum sub pace jugali

Velat eos dextrâ, quos prece sanctificat.

Posteâ utriusque Antistiti Sponsorum parenti longam nepotum seriem auguratus, addit:

Castâ, sacerdotale genus ventura propago,

Et domus Aron sit tota domus Memoris.

Erat verò Julianus Clericus Lectoribus adnumeratus, cum uxorem duxit, unde canit idem sacer Poeta.

Clericus uxorem Christo comente decoram

Diligat, & pulchram lumine cordis amet.

Auxilioque viri divino munere factam

Lector caelesti disceat ab historiâ.

Lectores in plerisque Ecclesiis uxorem ducebant, ut patet ex canone 14. Synodi Calchedonensi, de quâ re in Concilio Carthagenensi celebrato Cæsareo, & Attico Conf. cap. 19. extat hic canon: *Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Lege novellam Justiniani ad Joannem Præfectum Pr. lib. 1. cod. tit. 3. cap. 45. Uxor Juliani ex Paulini epithalamio Ia vocabatur, estque hujus nominis femina apud Terentium in Adelpho, & sancta Martyr in Romano Martyrologio 4. Augusti, cujus templum vetustate collapsum Justinianus restituit ex Procopio Lib. 1. de Ædificiis ejusdem Imperatoris. Verum Julianus vel mortuâ uxore, vel ex mutuo consensu ab eadem se junctus, Diaconus consecratus est, quo tempore Sanctus Augustinus Epistolam 131. ad Memorium scripsit, in quâ ægrè se ferre testatur, Julianum

adolecentem tanto studio liberalibus disciplinis vacare, additque hæc ista, quæ in eximiam Juliani commendationem veniunt, loquens de sex libris musicæ ad Memorium unâ cum eadem Epistolâ missis: *Nam superiores quinque dixi filio nostro, & Condiacono Juliano; quoniam & ipse jam nobiscum commilitat, lectione, & cognitione digni videbuntur. Quem quidem non audeo dicere plus amo, quam te, quia nec veraciter dico, sed tamen audeo dicere, plus desidero, quam te, rogatque Memorium, ut ad se in Africam Julianum mittat.* Profecto Sanctus Doctor tanto amore Julianum profecutus est, ut eidem mille postea conviciis in se debacchanti, hæc responderit: *Ego quidem pro dilectione, quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit, ut de medullis mei cordis extirpes, mallet filii Juliane, ut juvenute meliore, atque fortiore te vinceret.* Julianum verò antè hæresim in Africam transfretasse patet ex lib. 5. Oper. Imperf. cap. 26. ubi hæc ejusdem verba leguntur: *Nam cum antè hos annos essemus Carthagini, à quodam mihi honorato homine necessario tuo Manichæo aequè, sicut Epistolæ nostræ indicant, id ipsum propositum est &c.* Hic tamen textus ita restituendus est: *à quodam mihi Honorato homine necessario tuo Manichæo aequè, sicut Epistolæ vestre indicant.* Hic enim est ille Honoratus, ad quem Augustinus scripsit librum de Utilitate credendi, ut eundem à Manichæo ad verum dogma revocaret. Appellat autem Julianus etiam Epistolam Augustini 120. ad eundem Honoratum jam Catechumenum, in quâ fuscè contra Pelagianos disputat. Lib. 1. cap. 7. Idem Julianus adhuc juvenis Eclanensis Ecclesiæ in Hirpinis Antistes ab Innocentio Papa consecratus fuit, quo superstitè nihil contra latam ab eodem Pontifice contra Pelagianos sententiam tentavit. Scribit Marius Mercator in Commonitorio ad Theodosium: *Prædicti sanè Cælestius, & Pelagius non tunc primò à Sanctæ memoriæ Zosimo videntur esse damnati, sed ab eius Decessore sanctæ recordationis Innocentio, à quo & Julianus fuerat ordinatus, quippè post illorum damnationem usque ad prædicti Innocentii Episcopi excessum è vitâ in ejus communiōne permanens, & perseverans in sincerâ sententiâ, & communicans damnatori prædicto, & ipse quoque sine dubio Pelagium, Cælestiumque damnavit.* Sub Zosimo cum in Urbe de peccato originali disputaretur, Julianus, qui Romæ tunc erat, liberè pro hæresi loquebatur; horum auctor venit Mercator pag. 7. Commonitorii ad Pintam: *Meminimus enim, inquit, tempore, quo præsens in Urbe Româ cum participibus hujus amentissimi erroris tui in nonnullis simplicioribus Ecclesiæ ventilabas, qualiter interrogabas, quid est peccatum, inquires, malumne aliquid, an bonum? malum utique respondebatur tibi: Ad hæc addebas, Deus ne hujus mali auctor, & opifex? absit, absit &c.* Cum verò à Zosimo Pelagiani damnati fuissent anno 418. atque eâ de re per universum orbem encyclicas ad Episcopos misisset, Julianus renuit in eorundem damnationem consentire, quo tempore Pelagianum dogma non ex toto sectabatur, sed mortem ex peccato Adæ humano generi inflictam in Epistolâ ad Zosimum palam confessus est; Hoc testatur Mercator pag. 6. Vaticanæ Codicis: *Audi nunc, ait, & tu, & qui me, & te dignanter habuerint legere, quid contra hunc sensum tuum impiissimum, pravissimum, impudentissimum, petulantissimumque olim ipse pronunciaveris in Epistolâ videlicet tuâ, quam ad Sedem Apostolicam illo tempore ausus es mittere, quando conventus detrectasti cum universâ Ecclesiâ per totum orbem Pelagium,*

Pelagium, Cœlestiumque damnare, quæ antequam in manus sancti illius Romano Eccl. sive veniret An. stitis, te agente à nonnullis à te deceptis per totam penè Italianam circumlata est, & tanquam magnum aliqua multorum auribus insinuata cognoscitur, ibi namque inter cetera ita ais: Qui est igitur assertor, quòd neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat, contrà Apostolum sentit dicentem: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur. Et pag. 10. appellans eandem Juliani Epistolam ait: Quæ ut memoravimus ad sancta memoria Papam Zosimum missa est, displicet tibi, tumque condemnas, qui sentit, Adam mortalem factum, qui sine peccaret, sine non peccaret, fuisset moriturus, & ais, nec hoc esse ratione subnixum, credo enim inquis, immortalem quiddam factum, sed qui, si non peccasset per gustum ligni, vitæ posset virtutem immortalitatis adipisci, &c. Verùm in libris postea editis obstinate negavit, Adam sine peccato non fuisse moriturum, addens tamen leniter fuisse moriturum teste Augustino lib. 6. Oper. Imperf. cap. 27. Julianus fatetur apud Augustinum lib. 1. Operis ejusdem cap. 18. duas se ad Zosimum literas dedisse: Ad Zosimum, inquit, quondam illius Civitatis Episcopum super his questionibus duas Epistolas destinavi eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram. Scripsit itaque Julianus quatuor libros contrà prius volumen Sancti Augustini de Nuptiis, ac Concupiscentiâ initio Pontificatus Bonifacii, nam uti diximus ex Augustino, in illis Eulaliani schismatis mentionem fecit.

Et quiddam Pelagio, ac Cœlestio à Zosimo, & ab Honorio proscriptis, ac tot fulminibus circumquaque strepitibus territis Julianus Eclanensis Pelagiani belli summâ in se susceptâ, desperatis suorum rebus opem laturus, in unum Augustinum furibundus infremuit, proclamans: Majoris sibi esse apud Deum gloriæ destitutam veritatem tueri: apud Augustinum lib. 2. contrà Jul. cap. 10. Primi autem Juliani impetus fuere contrà laudatum librum Sancti Patris ad Valerium Comitem missum; Porro tantâ superbiâ tumidus in arenam descendit, ut Augustinum Goliath, se verò Davidem appellans, Virgiliano carmine Sanctum Doctorem ad monomachiam provocarit: Oblato placuit componi fœdere bellum, ut pugnas omnium conventio nostra dirimeret: apud Augustinum lib. 6. cap. 8. Totus verò in eo est Julianus, ut probet, Augustinum nuptias damnare, filios recens natos Diaboli opus asserere, Deum hominum conditorem negare, liberum arbitrium fato subdere, mali naturam à Manichæis fictam iterum in Ecclesiam invehere, contendens nullum contrahi ab infantibus originale delictum, concupiscentiam esse bonam, neque ex peccato ortam, naturales esse miseras, ipsamque mortem. Quid plura? latam contrà Pelagianos ab Honorio Imperatore legem pro se, suâque sectâ facere mentitus est, quem Augustinus his lepidè postea irrisit: Verùm si Dei legem non sicut se se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis, quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis? Lib. 3. contrà Jul. cap. 1. In illis verò quatuor libris ea ferè Julianus inculcat, quæ Theodorus Mopsuestenus in quinque contrà Hieronymum, & Augustinum voluminibus dudum scripserat, quæ credibile est, Julianum accepisse ab Anniano Diacono Pelagiano, cum ex Oriente paulò post Diospolitana Synodo præstitit, nam de Anniano hæc scribit Hieronymus: Quid quid enim in illâ miserabili Synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc

De Anniano Pelagiano Baroni, Vossii, ac Jansenii divinationes. Sigeberti, itemque Haberti de eodem dicta corriguntur. Sanctus Eusebius Cremonensis Pelagianos insequitur. Moritur Divus Hieronymus. Vincentius Victor ab Augustino impugnatur. Fastidius Episcopus in Britannia Pelagianizat.

Uo illi divinæ gratiæ defensores Augustinus, & Alipius de damnatâ ubique tum in Africâ, tum in Italiâ à Synodis, Pontifice, atque ipso etiam Honorio hæresi Pelagianâ literas ad Hieronymum dederant, illud etiam ab eo quærentes, num Anniani libros, quos contrà Epistolam ipsius ad Ctesiphontem publicaverat, confutasset; his verò literis respondit hoc anno Hieronymus, nam Epist. 24. apud Augustinianas tradit, se ob Eustochii nobilissimæ Virginis mortem penè dolore confectum, ne dum à libris conscribendis avocatum; obiit verò Eustochium hoc ipso anno 28. Septembris. Cæterum in eâ Epistolâ sanctissimus senex, & emeritæ militiæ Dux recentem victoriam contrà Pelagianos utriusque gratulatus, ait: Testem invocans Deum, quòd si posset fieri, assumptis alis columbæ vestris amplexibus implicarer, semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maxime, quia cooperatoribus, & adiutoribus vobis hæresis Cœlestina jugulata est, quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos, damnatosque esse se sentiant, tamen venientium non omittant, & quod solum possunt, nos oderint, per quos putant, se libertatem docenda hæreseos perdidisse: De Anniani verò libris respondet, accepisse se quiddam illos ab Eusebio presbytero, & vel adversâ valetudine, vel morte Eustochii ingenti adeo dolore correptum, ut contemendos petulantissimi Sicophantæ insultus putarit; vitâ tamen superstitè obviam se hæretico iturum, meliusque hoc fieri posse ab Alipio, & Augustino, ne ipse Epistolæ ab se prescriptæ defensionem adornans sua laudare cogeretur. At quinam iste Annianus fuerit, diversæ sunt Auctorum divinationes, cum Anniani Pelagiani scripta nusquam legerint. Baronius ad Annum 417. num. 16. putat, errorem codici irrepisse, ac loco Anniani Valeriani nomen substituendum; etenim cum Eusebius de Valeriano ad Cyrillum scripserit, de eodem ad Hieronymum etiam literas dedisse arbitratur. Vossius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 6. Julianum Pelagianum intelligi suspicatur, qui initio hæresis sub Anniani nomine veluti casside tectus in aciem prodierit. Jansenius existimat, à Hieronymo Pelagium designari, etenim familiare illi fuit, ridiculis, ac fictis nominibus suos hostes delineare, sic Rufinum, Grunnum, Scorpionum, Hydram ignominia causâ nominat. Usserius cap. 10. rem sub dubio relinquit. Miror, hos Scriptores Annianum neque ex Epistolâ apud Bedam, neque ex Præfatione in homilias Chryostomi cognovisse. Is unus fuit è præcipuis Pelagianæ scholæ magistris, cujus operâ primùm Pelagius, dein Orontius Episcopus ad sectam promovendam usi sunt. Erat Annianus Diaconus, atque ob latinæ, græcæque linguæ peritiam magnâ in æstimatione à Sectariis habebatur. Pelagii lateri adhærens in Asiam se contulit, suamque eidem operam in Diospolitana Synodo præstitit, nam de Anniano hæc scribit Hieronymus: Quid quid enim in illâ miserabili Synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc

hoc opere proficitur. Pelagius in latinâ linguâ minùs exercitatus, quò sub verborum lenocinio auditoribus faciliùs heresim instillaret, Anniano Rhetore utebatur; hinc Orosius Pelagii Epist. ad Demetriadem vellicans ait in Apologiâ de libertate arbitrii: *Quantquam hoc, quod neque aptè, neque decorè dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt, ut honestioribus studiis erudiretis, neque naturaliter provenit, ut sapieres, sed illis dictatoribus tuis, qui miserum sensum miserrimo sermone conscribunt, & te legendum cachinnis, quasi titulum confusionis exponunt.* Quæ quidem dixit Orosius, non quòd reapse inegantiam Epistolæ Pelagii ad Demetriadem notare vellet, ut putavit Usserius pag. 234. sed quòd exemplum adulteræ Egyptiæ Josephum lascivâ manu tentantis oculis castissimæ Virginis subjecisset, nam ibidem Orosius fatetur illam Epistolam esse *lucubratisissimam.* Auctor est etiam Hieronymus Epist. 24. laudatâ, Annianum Pelagii dogmata *verbis tinnulis atque emendicatis* exornasse. Hunc Annianum armigerum Pelagii tacito nomine designatum ab Orosio suspicor, dum ait: *Stat immanissimus superbiâ Goliath carnali potentiâ tumidus &c. habens post se armigerum suum, qui est ipse non dimicat, cuncta tamen aris, & ferri suffragia subministrat;* Quibus concinere videtur Hieronymus scribens, Annianum alienæ blasphemiae verba *frivola subministrare.* Usserius c. 9. de Antiq. Eccl. Brit. pag. 234. Cælestium vult ab Orosio armigerum Pelagii designari, at Cælestius in conventu Hierosolymitano non aderat, armiger ille intererat, ait enim: *habens post se armigerum suum:* Rursus: *& Goliath,* inquit, *cum armiger suo calumniatur mihi;* Item: *Quod etiam ille Phinees tuus pedecentim nobis tentavit objicere:* Undè idem & Phinees, & armiger affirmatur in Synodo præfens, atque contra Orosium agens; Cælestium verò absentem fuisse, nec cum Orosio locutum ex eâ ipsâ Apologiâ, & ex Gestis Synodi apud Augustinum in lib. de Gestis Pelagii disertè patet, loquuntur enim ibi Patres, atque Orosius de Cælestio uti de absente.

At eo conventu dissoluto, causaque ad Innocentium Papam devolutâ, ac paulò post celebratâ Diospoli Synodo, quò Pelagio benè consultum foret, Annianus in Italiam reversus Hieronymi Epistolam ad Ctesiphontem datam, editis contra illam libris impugnavit, quos in Italiâ eundem evulgasse inde colligo, quòd Eusebius hinc in Asiam ad Hieronymum illos misit; hi quidem periere, sed ejusdem Anniani ergà Pelagianos studium aliundè nobis innotescit; Hæretici, ne omni prorsùs veterum Patrum præsidio destituti viderentur, sub Joannis Chrysostomi laciniis præsertim se se occultare conabantur; hinc gravis de Chrysostomi sententiâ Augustinum inter, & Julianum disputatio fuit, ut ex Lib. 1. & 2. contra Julianum patet; sanè libri primi sexto capite hæc habet Sanctus Doctor: *Ingredere S. Joannes, ingredere, & confide cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nullatentatio te separavit. Opus est & tuâ, & maximè tuâ sententiâ, quoniam in tuis literis iste juvenis invenisse se putat, unde tot, tantorumque Coepiscoporum tuorum se arbitratur percellere, & evacuare sententias:* Itaque Annianus suum esse putavit Joannis Chrysostomi Homilias è Græco in latinum sermonem vertere. In primis autem quò viro auctoritatem apud Latinos conciliaret, Chrysostomi homilias de laudibus D. Pauli interpretatus est, quod opus Evangelo cuidam Pelagianæ sectæ presbytero inscripsit, in Epistolâ verò nuncupatoriâ, cujus titulus est: *Domino Sancto Evangelo Presbytero Annianus salutem:* Catholicos invidiosò Traduciano-

rum nomine infamat, & S. Augustinum etiam non obscure fugillat; Eius verba sunt: *Quod quidem opus èd esse apud te amabilius debet, & gratius, quò de Sanctarum Scripturarum luce rutilans clarissimi syderis vice noctem Manichei erroris exagitat. Quantum enim nobis consolationis exoritur, quàm cernimus tam erudito, tamque illustri Orientis Magistro eam, quam in nobis Traducianus oppugnat, adstrui veritatem, quam certè beatus Joannes, ut in omnibus libris suis, ita hic quoque ab omni munit am latere custodit, armat, accendit, ut videatur non tam præfentes informasse discipulos, quam nobis contra vera fidei oppugnationem auxilia præparasse. Quantus enim ille adversus necessitatem? quantus pro libero surgit arbitrio? quam nostrorum libris ubique concinens voluntatis jure servato di vine gratiæ præsidia commendat? &c.* Gratiam Pelagianam Annianus juxtâ scholæ suæ phrasim intelligebat, nempe quæ in doctrinâ, lege, exemploque consisteret, sub quorum vocabulorum ambiguo deformissimæ hæresis nuditatem oculere versipelles illi tentabant; Postea verò Sancti Augustini explicationem in illud Pauli dictum: *Non enim hoc facio, quod volo bonum, sed quod nolo malum, hoc ago* Rom. 7. quæ in propriâ personâ Paulum locutum contendit Lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 27. & 31. Lib. 1. Oper. Imperf. cap. 67. his refellit: *Sextò solvendo omnes illas quaestiones, quibus Traducianum os innitens beatum Paulum vitiorum offuscatione commaculat, ut scilicet fidelibus suis Apostolico exemplo peccata conciliet.* Fortè novum Traducianorum nomen, quo postea Julianus semper ignominiae causâ contra Augustinum usus est, Annianus primùm invexit; hinc Julianus Sanctum Augustinum appellabat Traducianæ gentis primatem Lib. 1. Oper. Imperf. cap. 66. cui Augustinus cap. 76. respondet: *Vos verò soli nos appellatis Traducianos.*

Idem Annianus grande opus Homiliarum Joannis Chrysostomi in Matthæum in latinum sermonem transferendum suscepit, octo eodem interprete latinæ orationes Chrysostomi legimus, omnes quidem se interpretaturum sponderat, idne reapse præstiterit, vel manum de tabulâ amoverit, incertum est. Hocce volumen Orontio Episcopo Pelagiano, quem in Ephesinâ Synodo cum aliis Episcopis Pelagianis damnatum videbimus, pro quo etiam duæ leguntur Nestorii Epistolæ datæ ad Cælestinum Papam, inscripsit. Præfationem sic orditur: *Domino verè Sancto, & beatissimo Orontio Episcopo Annianus. Piissimi Patris affectum, & sapientissimi artem magistri me pariter exerces, quem inter has, quas pro fidei, vobiscum amore perpetimur tenuationum procellas, & à morore simul, & à torpore subducis, animumque anxietate marcentem ad studium scripturarum remittis; jubes enim beatissime, ut commentarium Sancti Joannis Constantinopolitani Episcopi, quem in Matthæo Evangelista nonaginta, & uno libro explicuit, in latinam linguam, quo possim sermone, transfundam:* Ex his patet ab Orontio Pelagiano Episcopo ad illam interpretationem Annianum impulsam fuisse. Postea in Augustinum, immò in Ecclesiam Catholicam invecit addit: *Quid inquam ille pressius commendat, quam ingenitè nobis à Deo libertatis decus, cujus confessio præcipuum inter nos, gentilesque discrimen est? Qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infelicitè fati violentiâ, & peccandi putam necessitate devinctum; ut is etiam pecoribus invidere cogatur. Quid ille adversus eosdem magistros potius insinuat, quam Dei esse possibilia mandata, & hominem totius, vel quæ subicitur, vel suadetur à Deo, capax esse virtutis? quo quidem solo & iniquitas*

tas ab imperante propellitur, & prævaricanti reatus affigitur: Ita ex mandatorum possibilitate Pelagiani divinæ gratiæ auxilia solebant refutare, de quâ re pluribus agit Augustinus in Lib. de Perfectione Justitiæ, & lib. 5. contra Jul. Oper. Posterioris. Hæc de Anniano ex vetustis monumentis eruere potui, quæ ad hunc annum reduximus occasione Epistolæ Hieronymi id temporis ad Augustinum scriptæ.

Ex his nonnulli Scriptores corrigendi sunt. Isaac Habertus Episcopus Vabrensis in Concordiâ Patrum Latinorum, & Græcorum de Gratiâ cap. 2. minus consideratè laudavit *Anniani veteris Ecclesiæ Scriptoris judicium*; nam ab Ecclesiâ ejectus inter Pelagianos ille militavit. Sigebertus in lib. de Script. Eccles. cap. 70. confundit hunc Annianum cum altero Anniano, qui ex legibus Theodosianis grande volumen conflavit, cum tamen inter utrumque ferè sæculum intercesserit; scribit Annianus legum collector in Præfatione: *Annianus vir spectabilis ex præceptione D. N. gloriosissimi Alarici Regis hunc codicem de Theodosianis legibus, atque sententiis juris, vel diversis libris electum. Alaris Anno XXII. eo regnante edidi: Annus XXII. memorari Regis labebatur anno 506. nostræ Epochæ ex subscriptione Synodi Agathensis: Die III. Idus Septembris Messala V. C. Consule anno XXII. Regni Domini Nostri Alarici Regis.* Possévinus in Catalogo Scriptorum duos Annianos facit, unum, qui septem homilias Chrysofomi de laudibus Divi Pauli interpretatus est, & alterum, qui ejusdem Græci Patris homilias in Matthæum latinis auribus donavit, cum tamen unus, idemque Annianus utriusque operis scriptor fuerit. At nullus hunc Annianum Pelagianum fuisse animadvertit, quod ex Epistolâ ad Evangelium presbyterum evidenter ostenditur; hæc Epistola legitur præfixa septem homiliis Chrysofomi de laudibus Divi Pauli, quæ Tomo 6. Bedæ Operum editionis Colonienfis anni 1612. pag. 823. itemque ejusdem Commentariis in Epistolas Pauli editis Parisiis 1649. insertæ sunt.

Cæterum cum Hieronymus scribat Augustino, se Anniani libros in schedulis missos à sancto fratre Eusebio Presbytero suscepisse non antè multum temporis, æquum est, ut nonnulla de Eusebio hoc ob egregiè contrâ Pelagianos navatam operam hic inferamus. Eusebius patriâ Cremonensis fuit, teste Hieronymo in Epistolâ ad Pammachium; Forenses causas agitavit, ut ait Rufinus in Invektivâ priori, & à tergiversatione illâ actuum publicorum ad monasterium conversus, ad hæsit Magistro nobili, nempe Hieronymo. Diu eidem Sancto Doctore in monasterio Bethlehemitico comes fuit, exortis verò postea inter Rufinum, & Hieronymum dissidiis, Eusebius utri à Rufino pluribus calumniis perstrictus fuit, ita à Hieronymo in priori Apologia acerrimè defensus est. Eusebio inscripsit Hieronymus libros Commentariorum in Matthæum, & post aliquot annos etiam Commentaria in Hieremiam eidem nuncupavit, in quorum posteriorum voluminum præfationibus Pelagium, ac Cælestium sugillat, ut superius cap. 4. narravimus. Cum verò Rufino, atq; Origenistis Pelagius, ac discipuli successissent, paribusque & fortè gravioribus Hieronymum odiis excercerent, Eusebius pro magistri, atque amici honore excubuit. Cum in Italiam venisset, ac Valerianum Valerii Comitis servum ex his, quos in Ariminensi agro possidebat, hominem gula deditum, ac Pelagianorum erroribus infectum ex Italiâ Alexandriam aufugisse cognovisset, egit per literas cum Cyrillo, ut nequissimum nebulonem ex Ægypto pelle-

ret: Epistolam recitat Baronius anno 417. inter alia hæc ibidem leguntur: *Quomodo nunc, cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cælestiumque cum suis capitibus condemnarit cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem recepit, quæ sola, & prima inter comprovinciales suos tales refutare debuerat: Patet scriptam Epistolam initio Pontificatus Zosimi antè latam ab eodem in Pelagianum sententiâ aliâs & Zosimi celeberrimum judicium nominasset; undè corrigendus est Ferrarius Scriptor vitæ Sancti Eusebii, dum cap. 4. n. 18. apud Bollandum V. Martii scriptam illam Epistolam dicit tempore Innocentii Papæ, qui tamen beatæ memoriæ ibidem dicitur. Eodem ferè tempore cum libros Anniani Diaconi contrâ Epistolam Hieronymi ad Ctesiphontem reperisset, eosdem in Asiam in schedulis ad Sanctum Doctorem transmisit. Eusebium anno sequenti 420. morienti Hieronymo adstitisse, aliâque quam plurima de eodem narrantur in literis supposititiis Sancti Cyrilli ad Augustinum, quæ libens hic omitto. S. Eusebii memoria colitur Cremonæ, & in monasterio Patrum Minorum apud Bethlehem, ubi summâ veneratione ejusdem sepulchrû invistur, quæ legere poteris apud Bollandum ad V. Martii, quâ die Eusebii festum agitur.*

Hieronymus transmissis ad se ab Eusebio Presbytero Anniani excerptis non respondit, ut sperabat, morte enim præventus decessit anno 420. Theodosio IX. & Constantio III. Cos. ut scribit Prosper in Chronico; De hoc sapientissimo, æquè ac sanctissimo Ecclesiæ Doctore præstat filere potius, quàm pauca dicere. Illum post plures hæreticos confutatos stylym in Pelagianos vertisse dictum est; Propriis Pelagii impetum & sustinuit, & fregit, ut enim Julianus in unum Augustinum infremuit, ita unum Hieronymum Pelagius persecutus est. Initio quidem Pelagiani belli collegam Augustino se se exhibuit, ac remque in rebelles impressionem fecit editis post Epistolam ad Ctesiphontem tribus contrâ Pelagium Dialogorum voluminibus; at lectis prioribus Sancti Augustini adversus eundem libris de peccatorum meritis, & remissione, pedem ex acie revocavit, quod unus Augustinus expugnandis Pelagianis sufficeret, & quidem silentium imposterum tantâ religione servavit, ut oppugnatus quinque libris à Theodoro Mopsuesteno, & quatuor aliis ab ipso Pelagio, itemque postremò ab Anniano, non modo stylo pepercerit, sed Augustinum etiam per literas rogaverit, ut contrâ eosdem decretoria arma in sui ipsius defensionem induceret. Idatius Episcopus, qui juvenis de facie Hieronymum novit, scribit de eodem in Chronico: *Pelagianorum sectam cum ejusdem Auctore adamantino veritatis malleo contrivit.* De Hieronymi contrâ Pelagianos certaminibus canit Prosper in Carmine de Ingratis cap. 2.

*Tunc & Bethlæi præclari nominis hospes
Hebræo simul, & Græco, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundi que Magister
Hieronymus libris valdè excellentibus hostem
Dissecuit, nosci que dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ*

Baronius, ac Rivius scribunt, quatuor lib. de Origine Animæ ab Augustino hoc anno exaratos, quibus assentior; nam initio libri primi ait, libros Vincentii, quibus eo in Opere respondet proximâ æstate sibi à Renato Monacho missos, *quamvis*, inquit, *mibi eò, quod absens fuisset, in autumnii fine sine redditi.* At anno 418. circa æstatem Augustinus Cæsaream perrexit, ubi de Origine animæ petente eodem Renato ad Episcopum Optatum scripsit, certè die

20. Septembris ibidem cum Emerito Donatista disputavit. Anno verò sequenti circa initium Julii Hipponem redierat ex initio VIII. Quæst. ad Dulcimum: Cum verò Lib. 1. cap. 19. Pelagianam hæresim nuperrimè damnatam dicat, huic anno 420. Libri illi deputari jure possunt. Vincentius Victor juvenis, cui plus audaciæ inerat, quàm doctrinæ, cum in Mauritanâ Cæsarensi apud quendam Petrum presbyterum Hispanum quoddam Augustini opusculum reperisset, in quo de Origine animæ magnus Doctor dubitabat, duos è vestigio libros contra Hipponensem Antistitem scripturavit, quos Rhenatus Monachus Augustini studiosissimus Cæsareæ ad eundem ætate jam incumbente transmisit, eos verò exeunte Autumno reversus Hipponem Augustinus invenit. Quatuor verò libros contra illos duos Augustinus exaravit; priorem, quem Renato ipsi inscripsit, statim composuit, de quo in fine ejusdem hæc fatur: *Hunc ad te librum, mox ut illos legi, sine aliquâ dilatione conscripsi.* Paulò verò post alterum librum emittit ad eundem Petrum presbyterum, qui Vincenzium ob duos illos editos libellos plurimum diligebat. Distulisse verò aliquantulum duos postremos contra ipsummet Vincentium Victorem elucubrare, colligitur ex his, quæ habet Lib. 2. cap. 4. *Si autem Dominus, inquit, voluerit, ut ad illum ipsum juvenem scribam, sicut desidero &c.* Scripsit verò duos eruditissimos Libros, in quibus Hæresis Pelagiana acerrimè impugnatur; nam Victor hic, qui se Vincentii à Vincentio Rogati Donatistæ successore, quem plurimum venerabatur, cognomine nuncupari honoris causâ volebat, undecim errorum auctor ab Augustino convictus est, quorum sex Pelagiana paradoxa, immò & hæc quidem Pelagianis pejora continebant. Docebat enim, Infantes antè baptismum morte præventos pervenire posse ad Originalium indulgentiam peccatorum: Rursus quos Dominus prædestinavit ad baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, & antè defungi, quàm in eis fuerit, quod omnipotens prædestinavit, impletum; Sacrificium Christianorum pro non baptizatis mortuis posse offerri; Aliquas esse mansiones extrâ regnum Cælorum, ubi usque ad diem judicii infantes non baptizati beatè, ac feliciter vivunt. Hæc quidem, aliaque pessima dogmata Augustinus impugnat his increpans Victorem lib. 3. cap. 13. *Neque consideras, in hac causâ quantum deterius sapias, quàm Pelagius.* Cæterum hunc juvenem lectis quatuor illis Augustini Libris ad meliorem frugem reversum, ac ad se correctionis rescripta misisse testatur Sanctus Doctor lib. 2. Retract. cap. 56.

Trithemius scribit, Fastidium Britannorum Episcopum claruisse sub Honorio, & Theodosio Principibus anno Domini CCCCXX. Fertur scripsisse plures Libros, inter quos ad *Fatalem quendam de Vitâ Christianâ unum librum, & alium de Viduitatè servandâ sana, & Deo digna doctrina.* Verba sunt Gennadii in suo Catalogo; Sed planè Gennadium errasse mihi probatur ex libro ipso de Vitâ Christianâ, qui ad viduam quendam, non ad virum, Fatalem missus est, & inter opera supposititia Sancti Augustini tomo octavo reponitur, quem librum Lucas Holstenius in vetustissimo Codice Fastidii Episcopi nomine inscriptum inveniens suo tandem Auctori postliminiò restitutum vulgavit; Ibi verò non ex omni parte sana, & Deo digna doctrina legitur, nam cap. 13. (ita enim apud Augustinianam Appendicem habetur) scribit de Adamo: *In quo nihil fuisse incredulitatis invenio præter solam inobedientiam, cujus causâ ille damnatus est, &*

omnes suo damnantur exemplo. Quæ sanè est Pelagii hæresis dicentis: Ad peccatum posteris exemplo nocuisse, non transitu. Apud Prosp. in Epist. ad Demetriadem; cujus prævæ doctrinæ plena sunt Commentaria Pelagiana in cap. 5. Epist. Pauli ad Romanos in Appendice Hieronymi, uti diximus cap. 3. Idem verò Fastidius cap. 11. hæc scribit: *Ille enim meritò ad Deum exrollit manus, ille preces bonæ conscientie fundit, qui potest dicere: Tu nos Domine, quàm sancta, quàm innocentes, quàm pura sunt ab omni fraude, & insuriâ, & rapinâ, quàm ad te expando manus, quàm immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miserearis, preces fundo.* Hæc ipsissima verba posita in Libro Pelagii ad Viduam recitat Sanctus Hieronymus lib. 3. Dialogorum exclamans statim: *Christiani est hæc, an Pharisei superbientis oratio?* quo loco superbam illam orandi formam pluribus insequitur. Scripsisse totam eam sententiam Pelagium in Libro ad Viduam testatur Augustinus in Libro de Gestis Pelagii cap. 6. Quare cum Fastidius hic dicto Libro de Vitâ Christianâ impias Pelagii sententias exscriptas inseruerit, Pelagianâ illum loligine aspersum fuisse non dubito, indeque suspicio crevit, quòd Pelagius Britanniam patriam infecit, latèque ea pestis universam Insulam pervagata fuit, unde anno 429. à Concilio Gallicano Legati contra Pelagianos in Britanniam missi sunt, ut ad eum annum nobis memorabitur.

CAPUT XX.

Constantius Imperator Pelagianos Româ exturbat. Annus Imperii ejusdem contra vulgarem sententiam ex Codice Theodosiano, & Olympiodoro demonstratur. Rufus Thessalonicensis, & Atticus Constantinopolitanus à Pelagianis frustrâ tentati. Eâ occasione quædam de Vicariatu Thessalonicensi adnotantur. Justiniani Novella castigatur. Vicariatus Corintheiorum à Morino, & Halliero assertus improbat.

HAud diù Hieronymi morte Pelagianis lætati sunt, paulò post contra eosdem potenti hoste exorto; Fuit is Constantius Honorii Imperatoris Dux fortissimus, idemque felicissimus, cujus res gestas pluribus Olympiodorus illius ætatis historicus literis prodidit, sed malo rei literariæ fato præclara illa monumenta interiere, pauca tamen Photii diligentia ad posteros transmisit. Fuit Constantius genere Illyrius è Panæso Urbe Cadiæ, qui multis obitis jam inde à Theodosii magni temporibus militiæ muneribus nuptias demùm cum Placidia Honorii sorore celebravit anno 417. Audiatur Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. *Honorius XI. & Constantius iterum Consules creati Placidia nuptias conciliant, sed has ipsa nuptias cum vehementer detestaret, effecit, ut ipsius famulus indignaretur Constantius: Tandem nibi lominus ipso, quo consulatum injit die manu ipsam arreptam Honorius Imperator frater ejus invitam Constantio in manum tradit, nuptiaque splendide celebrantur.* Scribit Prosper in Chronico, Constantium anno 420. in Regni societatem ab Honorio adscitum his verbis: *Theodosio IX. & Constantio III. Coss. Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur.* Prosperum omnes Latini Chronologi secuti sunt; sed errasse Prosperum unius anni prochronismo inferius demonstrabo, accidit enim Constantii inauguratio anno 421. VI. Idus Februarias. Cæterum uti bellicæ virtutes Constantium Honorio affinem, dein in Imperio Collegam reddi-

Anno
421.

F 2 derant,

derant, ita ejusdem religio, ac pietas Bonifacio Pontifici illam electionem gratissimam fecerant; Quare cum Cœlestius Epheso ejectus & in Italiam reversus se se urbi insinuasset, ac clanculum per domos cursitaret, Pontifex cum novo Imperatore egit, ut tanta pestis Urbe pelleretur. Constantius, qui privatus jam diu Pelagianos oderat, ad Volusianum Urbi Præfectum literas dedit, quæ Cœlestii proscriptionem statim injunxit, Officio, si secus ageret, capitalem sententiam interminatus. Exemplum literarum ab Henrico Gravio acceptum Baronius publicavit, sed idem emendatius ex Cod. Thuano exhibet Salmasius 2. p. de Ecclesiis Suburbicariis pag. 283.

Imp. Fl. Constantius Pius Felix Augustus Victor, &c. Volusiano Præfecto Urbi.

Quum tum præterita superstitionis, tum recentia plena vanitatis jamdudum corrigi jussimus, quotidianis insinuationibus majora fieri nunciantur, & quoniam discordia animos commovet populorum, ea, quæ jamdudum jussimus, præcipimus iterari; Unde his lectis, Eximietas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Urbis expelli, ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Cœlestium quoque magis, ac magis ex Urbe pelli mandamus, constat enim iisdem è medio sublatis gratiam, & concordiam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps si tale quicquam fuerit nunciatum, Officium præstantiæ tuæ capitale sententiæ subdendum esse cognosce. Non enim patimur impunitum esse, præcepta nostræ executionis negligentiam protelari. Vale Patrens carissimè, atque amantissime. *Et adjecta subscriptio.* Impleatur quod jussimus, quia hoc famæ tuæ expedit.

Harum literarum Constantii ad Volusianum Præfectum Urbi meminit Photius Cod. LIII. Licet loco Constantii *Konstantin* ibidem per errorem legatur. Porro Volusianus nondum Christianorum mysteriis imbutus Ethnicorum superstitionem sectabatur, erat ille tamen Augustini studiosissimus, ut patet ex Epistolâ 2. tom. 2. Operum Augustini; Et quidem Sanctus Pater eundem ad verum cultum traducere non semel per literas conatus fuerat; legatur Epistola tertia ad Volusianum; Hic sanè tam altè de Augustini ingenio sentiebat, ut scribere non dubitavit: *Cum ad Antistitem Augustinum venit, legi Dei deest, quidquid Augustinum contigerit ignorare.* Quare Volusianus accepto Principis mandato etiam, atque etiam Augustino, ejusque amicis gratulatus, edictum in hæc verba conceptum statim emisit.

Volusianus Præfectus Urbi edixit.

Hæc tamen Cœlestium divinæ fidei, & quietis publicæ turbatorem judiciis amica reis secreta subdlexerunt. Jam leges etiam, & edicta persequuntur absentem, cui, quod primum est, æternæ Urbis negatur habitatio, ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis, atque ausus sui cunctos hujus edicti cautione præmonemus, ne quis iniquo noxius latebram putet esse præbendam, ne cum hujusmodi positâ poenâ supplicium, ac stylum necesse sit proscriptionis incurrere quisquis reum divinis, humanisque legibus apud se putaverit occultandum.

Cum Constantii literæ, quibus Consulibus datae fuerint, non aperiant, Baronius, Usserius, alique scriptas easdem anno 420. existimarunt. Sed anno sequenti deputandæ sunt. Scribit Olympiodorus, Constantium ob ipsius effigiem à Theodosio Orientis Imperatore rejectam in iram, mœroremque incidisse, ac septimo imperii mense morbo extinctum: *Igitur, inquit, septimo imperii mense quemadmodum & somnium sic indicaverat, sextus abijt, septimus inchoatur, plenitudo extinguitur est:* Extant in Codice Theodosiano nonnulla rescripta data Ravennæ Cofs. Eustathio, & Agricola, nempe hoc anno 421. cum titulo. *Imppp. Honorius, Theodosius, & Constantius Auggg. Primum lib. 3. L. 2. de repudiis.* Dat. VI. Idus Martii. Alterum lib. 10. L. 30. de Petit. & ulrò datis. Dat. VIII. Idus Julias. Postremum lib. 2. L. 1. *Si certum petatur de chirographis.* Dat. V. Kal. Augusti; unus Theophanes in Chronographiâ exactè initium Imperii Constantii designat: *Hoc anno, inquit, Constantius Valentiniæ pater Imperium obtinuit VI. Idus Februarias.* Quare edictum illud contra Cœlestium anno 421. intra Febr. ac Septembrem emisum fuit.

Interea memorata inter Constantium, & Theodosium, itemque inter Orientalis Imperii Metropolitanas dissidia, ut mox dicemus, desperatis Pelagianorum rebus melioris fortunæ spem injeccerant. Egrè tulerat Theodosius Orientis Imperator, Constantium ab Honorio in Imperii consortium adlectum, decedente enim sinè masculâ prole patruo Occidentis provincias Orientali Imperio addendas sperabat: quare tantâ spe dejectus missam, ut moris erat, ad se novi Imperatoris effigiem rejecerat, neque in rescriptis Constantinopoli eo anno datis ullam in titulo Constantii mentionem fecerat, ut videre est in Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. Pridie Idus Julias Eustathio, & Agricola Cofs. Illud igitur Imperatorum dissidium Pelagianos in nova consilia impulit; placuit, Cœlestium Legatum Byzantium destinari, ut enim aula Orientis contra utrumque Occidentis Imperatorem fremebat, ita contra ipsorum hostem Constantium querelas injusti exilii, aliarumque calamitatum querimonias apud iratum Principem sibi deponendas existimarunt, simulque Attici Regiæ Urbis Episcopi animum tentandum; neque id difficile videbatur, illius enim Urbis Antistites Augustorum genio indulgere soliti amoris, irarumque causas erga Occidentales easdem cum Byzantinis Imperatoribus suscipiebant.

Verum aliunde etiam suppetias petere decreverunt, quare è re visum est, dum Cœlestius Constantinopoli gnaviter mandata exequeretur, per literas Antistitem Thessalonicensem in partes pellere. Metropoli Thessalonicensis in Illyricanis provinciis Apostolica Sedis Vicarium agebat, eratque illius Sedis Metropolitanorum singulare privilegium antiquitatis à Romanis Pontificibus eisdem concessum; Nam quod Justinianus Imperator Novellâ undecimâ scribit, Attilanis temporibus Sirmio destructo Thessalonicensi Ecclesiæ eam dignitatem primitus collatam planè falsum est. Extant Epistolæ Damasi, Siricii, Innocentii, ac Bonifacii Pontificum ab Holstenio viro eruditissimo collectæ, atque ab Eminentissimo Principe Francisco Barberino literariæ Republicæ eximio Meccenate in lucem editæ unâ cum Synodo Romanâ sub Bonifacio II. ex quibus omnibus Justiniani error evincitur. Sanctus Innocentius Ruffo Episcopo Thessalonicensi suas vices commisit in Provinciis Achajæ, Thessaliæ, Epiri veteris, & novæ, Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Me-

Mœtia, Dardania, & Prævalis addens: Non primis hæc ita statuentes, sed Præcessores nostros Apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio, & Anyfio injungi pro eorum meritis ista voluerunt. Epist. 5. Habemus etiam Santi Leonis Magni Epist. ad Anastasium Rufi Successorem, in quâ eidem suas vices delegat: Sicut Prædecessores mei, inquit, Præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum sequutus exemplum vices mei moderamini delegari, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divinâ institutione debemus, imitator nostræ magnitudinis effectus adjuvares, & longinquus ab Apostolicâ Sede provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes. Ex quibus patet Justiniani error de recentiori Thesalonicensis Ecclesiæ dignitate; nam Sirmium anno 441. dirutum fuit, cum ex Marcellino ad consulatum Cyri Bleda, ac Attila Hunnorum Reges oppida Illyrici plurima exciderunt; at Vicariatus Thesalonicensis diu ante præcesserat.

Magnum itaque auctoritatis pondus sectæ adjicere Pelagiani arbitrabantur, si Metropolitam Thesalonicensem eidem faventem reddidissent, quod longiori ad ipsum datâ Epistolâ pertentarent; eam verò decem, & octo Episcopi Pelagiani subscribere, nempe Florus, Julianus, Turbantius, Orontius, Persidius, alique, qui Ephesi postea damnati fuere Turbantio ad meliorem frugem reverso. Eodem etiam tempore Julianus Romam literas misit; audiaur August. lib. 1. ad Bonifacium Papam cap. 1. *Duabus Epistolis eorum respondeo, uni scilicet, quam dicitur, Romam misisse Julianus, credo ut per illam, quos posset suos aut inveniret, aut faceret, alteri autem, quam decem, & octo velut Episcopi participes ejus erroris non ad quoslibet, sed ad loci illius Episcopum suâ calliditate tentandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thesalonicensem scribere. Cum verò Augustinus non nominet Thesalonicensem, Baronius, ac Vossius suspicari se dixerunt, fuisse illum Rufum, quem in Ephesinâ Synodo Schismatici literis sollicitarunt. Sed res est citrà suspicionem certissima, id enim videre poterant in Epistolis Innocentii ad Episcopos Macedoniæ, in quibus primo loco Rufus semper nominatur, at Primas Macedoniæ erat Episcopus Thesalonicensis. Rufus sedente Romæ Innocentio suffectus fuerat Anyfio, obiitque Xysto Pontifice, succedente Anastasio; extant plures Epistolæ Innocentii, Bonifacii, ac Cælestini ad Rufum Thesalonicensem in Synodo laudatâ Romæ à Bonifacio II. celebratâ; anno 435. sedebat Præsul Thesalonicæ Anastasius ex Epistola 15. Xysti Papæ ibidem recitatâ. Porro intè Rufum Thesalonicensem, atque Atticum C. P. gravissima lis intercedebat; hic enim Illyricos Episcopos plerosque sibi subdere satagebat, ille verò Thesalonicensem Antistitum jura mordicus tutabatur. Theodosius Imperator ob Constantii electionem Bonifacio etiam Pontifici non nihil indignatus, Attico causam adjudicavit hoc ipso anno, legiturque rescriptum ad Philippum Præfectum Prætorio Illyrici datum pridie Idus Julias Cod. Theod. lib. 2. L. 42. *De Episcopis, Ecclesiis &c. in quo hæc habentur. Omni innovatione cessante vetustatem, & canones Ecclesiasticos, qui usque nunc tenebantur, etiam per omnes Illyrici provincias servari præcipimus. Si quid dubietatis emerferit, id oporteat non absque scientiâ viri reverendissimi Sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prerogativâ letatur, conventui Sacerdotali, sanctoque judicio reservari. Verum Bonifacius Papa Attici rapiam se se opponere, eamque in rem datis literis Ru-**

sum animabat; certè Epistolâ 8. scribit: Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, & indebitæ desiderium dignitatis accendit: Et postea: Quapropter, frater carissime, fretus jam dudum à te auctoritate susceptâ contrâ inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare; Nihil hic timebis dubii, nihil incerti formidabis eventus; Ibidem Epistolâ nonâ Thesalos Episcopos; sequenti verò universos Illyricianæ Diceceos Antistites monet, ne ab Apostolicâ sede, cui semper immediatè subjecti fuere, in Attici jurisdictionem transant, Rufo super singulos potestate delegatâ iis verbis: Episcopos per Illyricum citrà conscientiam Coepiscopi nostri i usi nullus ordinare præsumat.

Pelagiani ergo Rufo, atque Attico dissidentibus, turbidis in Oriente rebus aliquid sibi patrocini expiscaturi illum per literas, hunc per Legatos adorti sunt. In Epistolâ ad Rufum misâ in primis Zosimum Papam, ac Romanum Clerum prævaricationis accusare dicentes: *Romanos Clericos jussionis terrore percussos non erubuisse prævaricationis crimen admittere, ut contrâ priorem sententiam suam, quâ gestis catholicis dogmati assuerant, postea pronunciarent, malam boninum esse naturam: apud Augustinum lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. addebant, adversarios liberum arbitrium de medio tollere, fatum inducere, Deum acceptatorem personarum fingere: legem ab illis datam asseri non ad tollenda, sed ad augenda peccata: Prophetas, & Apostolos non fuisse Sanctos, sed impiorum comparatione minus malos: damnatos se extrâ Synodum à paucis Episcopis, & ab horum plerisque subscriptiones extortas: appellare se tandem Synodum Oecumenicam. Hujus Epistolæ mendacis, atque imposturis refellendis tres libros Augustinus insumpsit, de quibus postea nobis sermo erit.*

Quid Rufus Pelagianis responderit, non constat, sed de Thesalonicensi Episcopo tam altum in posterioribus Juliani libris silentium Pelagiana ab eodem paradoxa damnata fuisse satis evidenter ostendit; nequè secus, si sapuissent, opinandum hæreticis fuerat de doctissimo Præsule, ac tot acceptis beneficiis Romanæ Sedi arctius obstricto; quâ enim fronte Pontificis sententiam ejusdem Vicarius damnasset? Ille paulò antea Zosimi encyclicam Epistolam, quâ Pelagianos damnabat, subscripserat, ut ex Mercatore cap. 14. suggestimus. Idem etiam postea anno 431. in Ephesinâ Synodo per Flavianum Philippensem Pelagianos anathemate percussit; legitur enim in eâ Synodo, in quâ Nestorianorum, ac Pelagianorum damnatio conclamata fuit, isthæc Flaviani subscriptio: *His quoque Sanctissimum Patrem nostrum Rufum subscribere affirmo, nam cum propter aegritudinem huc venire non posset, mihi hæc mandata dedit.*

Sed neque suscepta ad Atticum legatio feliciorum exitum sortita est; Etenim ubi Cælestius Constantinopolim appulit, ac pro suorum causâ apud Atticum egit, statim uti hæreticus damnatus, regiâque urbe expulsus fuit. Hujus apud Byzantium peractæ Pelagianorum damnationis meminit Augustinus lib. 3. contrâ Jul. cap. 1. *Ego autem, inquit, absit ut ad monomachiam vos provocem, quos, ubicunque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus, qui debellavit apud Carthaginem Cælestium, quando illic ipse non eram, & rursus Constantinopolim tam longè à regionibus Africanis. De hac ipsâ Hæreticorum condemnatione cecinit Prosper in carmine de Ingratis cap. 2.*

Quid loquar, & curam magnam, quam gessit in Urbe Constantinopoli docto bonus ore Sacerdos Atticus antiquâ legatos Hæreticorum

*Confutando fide? de quâ tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent velamine, formâ
Judicii, & tacite tulerint tormenta repulsa.*

Sanctus Cœlestinus Papa Nestorium Pelagianos protegentem in Epistolâ ad eundem datâ his increpat: *Epicerentur denique si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea, quæ in hos tunc sunt acta, queruntur? Cum certum sit illinc ad nos à Catholico tunc Antistite Artico gesta directâ? Cur non sanctæ memoriæ Sisinnius istâ quaesivit? Quia utique sub Deceßore suo probaverat eos iure damnatos.* Ita magnâ Pelagianorum arte structâ contrâ Orthodoxos in Oriente machinâ confractæ cecidere.

Hoc anno die secundâ Septembris Constantius Imperator animi merore, ac pleuritide laborans vitam cum Imperio reliquit; laudatus Theophanes scribit: *Hoc anno Constantius Valentiniani Pater imperium obtinuit VI. Idus Februarias, quinto verò nonas Septembres occisus est.* Quare idem cum Honorio vixit in Imperio menses sex, dies 25. Sed erravit Theophanes, dum scripsit de eodem *is patris*, scilicet jugulatus est, etenim morbo eundem extinctum ex Olympiodoro certum est; corrigendus est Idatius, qui scripsit obiisse Constantium in suo tertio Consulatu nempe anno 420. Suscepit Constantius ex Placidia Honoriam filiam, ac dein Valentinianum, qui postea imperavit: Do eundem Olympiodorum testem: *Hinc nata filia, quam Honoriam nominarunt, filius item, cui Valentiniano nomen datum, qui superstitè etiamnum Honorio Nobilissimus dictus est;* Hæc libuit subnotare, nam Prosper ad annum 423. Calliodorus ibidem, Paulus Diaconus, Cuspinianus, & Recentiores Petavius, Ricciolius, alique masculam utramque prolem fecere, nempe Honorium, & Valentinianum, sed priorem sceminam fuisse constat ex inscriptione Ravennate apud Rubeum lib. 2. Histor. Raven.

SANCTISSIMO, AC BEATISSIMO APOSTOLO
JOANNI EVANGELISTÆ
GALLA PLACIDIA AUGUSTA
CUM SUO FILIO
PLAC. VALENTINIANO AUGUSTO
ET FILIA SUA
JUSTA GRATA HONORIA AUG.
LIBERATIONIS MARIS VOTA SOLVIT.

Existimo tamen, Prosperum more antiquis familiarum, ut cap. 15. de Albino dictum est, masculini nominis usurpatione sceminam designasse. Ex his patet numisma inscriptum *D.N. Just. Grat. Honoria P. F. Aug.* de quo Baronius tom. 9. in Appendice dubitat, non esse fictitium. Quod enim ait vir eruditissimus in Appendice tomi noni pag. 869. nullum fuisse eidem maternum cognomen, ut dicta sit *Galla, vel Placidia, sed Grata*, ex Socrate lib. 4. cap. 26. rejicitur. Etenim scribit, Valentinianum I. ex Justina Augusta Valentinianum juniorem, & tres filias, *Justam, Gratom, & Gallam suscepisse.* Gallam duxit Theodosius Imperator, e qua illi nata est Placidia, Arcadius, & Honorius. Placidia autem juncta Constantio filiam ab utriusque materteræ nomine Justam, & Gratom, à fratre verò Augusto Honoriam nuncupavit. Minus etiam rectè de eodem numismate dubitat, quod sorores Imperatorum Augustæ non dicebantur, nam id planè falsum esse constat ex Epist. 24. Sancti Leonis, in qua Pulcheria Theodosii adhuc viventis soror Augusta appellatur, itemque ex laudatâ inscriptione Ravennate, ubi Honoria dicitur Augusta. Illustrissimus D. Comes Joannes de Lazara Patrius Patavinus, & Eques inter rara, ac

singularia numismata, quæ supra novem millia ingenti labore, ac sumptu comparavit, aureum numisma mihi ostendit ejusdem Honorie inscriptum, *D. N. Just. Grat. Honoria P. F. Aug.* ex adverso Cruce coronatâ signatum. Duo insuper alia exhibuit, quorum unum ita inscriptum est. *Divæ Julæ Aug. Divi Titi F. S. P. Q. R.* Alterum verò cum epigraphæ: *Divæ Augusta Marciana.* Fuit hæc soror Trajani, illa verò Titi filia. De hac Honoriâ legatur Priscus Panites in lib. de Excerpt. Legat. Constantium Augustino carum fuisse ex eo satis intelligitur, quod lata olim à Marcellino contrâ Donatistas sententia, cum ob Heraclianos tumultus executioni mandari minimè potuisset, Constantii operâ optatum denique exitum sortita fuit; Rem narrat Orosius lib. 7. cap. 4. *In his, inquit, diebus præcipiente Honorio, & adjuvante Constantio pax, & unitas per universam Africam Ecclesie Catholice reddita est, & corpus Christi, quod nos sumus, redintegratâ discissione sanatum est, impositâ executione sancti præcepti à Marcellino Tribuno viro imprimis prudenti, & industrio, omniumque studiorum bonorum appetentissimo.* Lex contrâ Donatistas, quâ Sancti Marcellini sententia inimitatur, legitur in Cod. Theod. lib. 10. tit. de Hæreticis data anno 414. Constitibus Constantio, & Constante. Hunc Constantem Baronius Constantii filium facit, sed ex Olympiodoro Constantinopolitanum illum Consulem fuisse colligitur, quod fastorum Pater vidit Panvinius.

Theodosius mortuo Constantio conceptam contrâ Honorium indignationem deposuit, & Rufi, atque Attici lites diremptæ sunt; nam Theodosius emisit in favorem Attici rescriptum abrogavit; Etenim Bonifacius Papa per Legatos cum Honorio egit, ut apud Theodosium Thessalonicensis Ecclesie patronum se præberet, quod libenter piissimus Imperator præstitit datis ad Nepotem literis, quæ in laudatâ Synodo num. XI. leguntur, quibus Theodosius permotus latam paulò ante legem revocavit scribens ad Præfectos Prætorio Illyrici: *Ut cessantibus Episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri, ne venerabilis Ecclesia sanctissima Urbis privilegia à veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium.* Epist. 12. Ibidem. Undè apparet Justiniani, seu potius ejusdem alicuius imperitia, imò malitia, qui prius illud rescriptum Theodosii posteriori lege ab eodem abrogatum libro primo Justiniani codicis inseruere. Fattetur autem Theodosius prius rescriptum ab Episcopis Illyricis novarum rerum studiosis, atque à Patriarchâ Romano ad Constantinopolitanum defectionem meditantibus sibi fuisse surreptum: Undè, inquit, *omni supplicantium Episcoporum per Illyricum subreptione remota statuiamus observari, quod præca Apostolica disciplina, & canones veteres eloquuntur.*

Integra ergo antiqua Metropolitæ Thessalonicensis, ac Apostolici Patriarchatus per Illyricas provincias jurisdictionis defensa fuit, de qua re eruditi Recentiores egregiè scripserunt Morinus lib. 1. Exercit. 21. Hallier lib. 4. de Hierar. Eccles. sect. 4. cap. 2. art. 3. & meus Lupus in Notis ad canonem 16. Synodi Sardicenis. In eo autem Morinus, ac Hallier minus certè mihi probantur, quòd in Oriente alterum Apostolicæ Sedis Vicarium posuere à Thessalonicensi distinctum, nempe Metropolitam Corinthium, eâ moti ratione, quòd Gregorius Magnus ad Joannem Episcopum Corinthi pallium mittens ad Episcopos Helladæ lib. 4. Epist. 56. hæc scripsit:

scripsit: *Pallium Joanni Fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmississe cognoscite, cui vos magnopere convenit obedire, præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat &c.* At unâ cum pallio Vicarias Apostolicæ Sedis vices Romanos Pontifices delegasse eisdem contendunt. Fateor, Corinthium Metropolitanam conatum quidem se se Thesalonicensi Vicario Apostolico subducere, sed novitati Romani Pontifices obliterunt. Erat Corinthus Metropolis Achajæ, ac sedes Proconsulis, quare uti Carthago, & Proconsulis Africa, itemque supremi illarum provinciarum Primatis Ecclesiasticæ uni Romano Pontifici subiecti sedes erat, eadem privilegia suâ sedi Corinthius arrogare tentavit. Primus fuit Perigenes Corinthius, qui Anastasio Vicario Thesalonicensi litem movit, sed Xysti decreto Thesalonicensis jurisdictioni veteri exemplo adscriptus fuit, ut patet ex literis Xysti ad eundem Perigenem in Synodo Bonifacii num. 14. recitatis: *Sancto fratri, inquit, & Coepiscopo nostro Anastasio Thesalonicensis urbis Antistiti eam servato reverentiam, quam ceteri quoque Pontifices per Illyricum constituti erga prædicti dignitatem reservare non abnuunt; cum sciamus nil novum illi à nobis fuisse concessum, sed id, quod ejus Decessoribus nostri Decessores detulerant.* Et Epistolâ sequenti ad Episcopos per Illyricum ait: *Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam.* Datæ sunt literæ anno 435. Theodosio XV. & Valentiniano IV. Confl. Rursus sub Leone Magno Metropolitam Corinthius idem tentavit, at Leo datis ad Achajæ Episcopos literis, quæ num. 26. in memoratâ Synodo exhibentur, eisdem conatibus obviam ivit; cum enim præmississet, Thesalonicensem Metropolitanam abs se Apostolicæ Sedis illâ in provinciâ, totoque Illyricano tractu Vicarium esse constitutum, addit: *Memorati fratris nostri Anastasi Thesalonicensis sollicitâ relatione cognovimus, Achajæ provinciæ Metropolitanum illicitas, & constitutis Patrum, nostrisque auctoritatibus interdictas ordinationes sæpe celebrasse;* Datæ dicuntur literæ Etio III. & Symmacho Confl. nempe anno 446. Quare usque ad Leonis Pontificatum Metropolitam Corinthius non fuit Sedis Apostolicæ Vicarius, sed unus Thesalonicensis eo privilegio in Orientali Romani Patriarchatus diocesi gaudebat.

Neque ex pallio à Gregorio Magno ad Corinthium misso hujus Vicaria potestas rectè inferitur; nam semel quidem pallium ab Apostolicâ Sede ad Primatem Thesalonicensem mittebatur, at vicaria potestas à novis Pontificibus novo privilegio confirmabatur, ut planè appareat, cum donatione pallii vicarias Apostolicæ Sedis vices connexas non fuisse. Anysius Thesalonicensis Episcopatum sub Damaso accepit, & ab eodem Pontifice Illyrici Vicarius constitutus fuit, at hoc privilegium eidem iterum dedit Siricius, dein Anastasius, & tandem Innocentius, ut ex literis eorundem in Synodo sæpius laudatâ num. 3. & 4. colligitur. Anyso Rufus successit, quem suum apud Illyricos Vicarium Innocentius declaravit ibidem Epist. 5. at Bonifacius idem privilegium ratum habuit Epist. 6. & 7. Cælestinus etiam Epistolâ ibidem num. 13. de Rufo ait: *Cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam.* Post Rufum sedit Thesalonicæ Anastasius, de quo scribit ad Illyricos Episcopos Xystus num. 17. *Qui vices Apostolicæ Sedis agere, ut beata mem. Rufus Decessor ipsius, ex nostrâ voluntate cognoscitur.* Leo tandem vicariam potestatem rogatus ab eodem Ana-

stasio confirmavit, ut constat ex Epist. Leonis nu. 24. *Postquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis immoritur per filium nostrum Nicolaum presbyterum, ut tibi quoque à nobis, sicut Decessoribus tuis, per Illyricum cum nostrâ vice propter custodiam regularum auctoritas præstaretur, præbentes assensum nostrâ adhortatione compellimus, ut nulla dissimulantiâ, negligentia nulla proveniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, quas dilectioni tuæ vice nostrâ committimus &c.* Hoc etiam ex ipso Gregorio demonstratur, qui lib. 2. Epist. 4. ad Maximianum Syracusanum ait: *Deinde super cunctas Sicilia Ecclesias reverendissimum te Maximianum fratrem, & Coepiscopum nostrum vices Sedis Apostolicæ ministrare decernimus.* Tunc ergo primum Vicariâ potestate à Gregorio exornatus fuit, pallium verò antea Romæ acceperat, cum ex Monacho à Gregorio consecratus fuit Syracusanus Antistes. Libr. 5. Epist. 8. ad Donum Messanensem scribit: *Fraternitati tuæ, quam in Messanensis Ecclesiæ gubernatione suscepisse constat officium, pallii usum providimus concedendum illis videlicet temporibus, atque ordine, quibus Decessorem quoque tuum usum esse non ambigimus.* At Domini decessor licet pallio uteretur, erat tamen Maximiano Vicario super cunctas Sicilia Ecclesias constituto subiectus; Quod aperte patet ex Lib. 3. Epist. 121 ubi Maximiano Gregorius præcipit, ut inquireat, & judicet in causâ hominis de possessione Messanensis Ecclesiæ; immò mortuo Maximiano Cyprianus Diaconus Vicarius Apostolicus in Siciliam à Gregorio missus fuit, quem Pontifex Rectorem Sicilia Lib. 5. Epist. 13. & Lib. 6. Epist. 38. nuncupavit, illum verò Lib. eodem Epist. 41. jubet inquirere in homines Messanensis Ecclesiæ Theodorum contra quandam foeminam concitantes, quod indicat, Episcopum Messanensem pallium quidem à Romano Pontifice accepisse, at non vicariam potestatem. Idem Gregorius Lib. 4. Epist. 8. ad Joannem Metropolitanam primæ Justinianæ ait: *Pallium verò ex more transmissimus, & vices vos Apostolicæ Sedis agere iteratâ innovatione decernimus;* Quare cum in Epistola ad Corinthium pallii tantum mentionem faciat, non verò & vicariæ auctoritatis, hanc Corinthio tribuere ex solius pallii usu non debemus. Post schisma Acacianum, quod Metropolitæ Thesalonicenses Acacio adhæserunt, vicariâ potestate privati sunt, neque illis videtur amplius restituta.

Sirmondus in Appendice ad Cod. Theod. recitat ex MSS. Virdunensi fragmentum Epist. Felicis III. in quâ Andreas Thesalonicensis Episcopus ad Sedis B. Petri communionem venire dicitur desiderare, sed cui haud integram fidem Pontifex præstat. Gelasius Felicis successor in Epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ, & Illyrici ejusdem Thesalonicensis obduratam in schismate obstinationem increpat. Cum verò paulò post Dorotheus Thesalonicensis Decessorum privilegio per totam Illyricam diocesim uti vellet Joanne Nicopolitano Epiri Metropolitam contradicente, hisce eundem Hormisdas Epist. 22. increpuit: *Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas? & reverentiam, quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiasticâ potestate deferi?* Verum licet postea sub Justino Acacianum schisma profligatum fuerit ab eodem Hormisdâ, succedente in Imperio Justiniano Vicariatus per Illyricum translatus fuit ad Archiepiscopum primæ Justinianæ, ita tamen, ut Gregorius Magnus semper in titulo literarum ad Episcopos Romano Patriarchatui subiectos, priori loco Thesaloni-

Ionicensem nominaveris, ut patet ex Lib. 7. Epi. 11. & 70. Sed de his plura dicere non est nostri instituti.

CAPUT XXI.

Alipius in Italiam venit, idemque in Africam revertens Juliani scripta ad Augustinum defert: Eadem Sanctus Doctor pluribus libris statim impugnat.

Hoc anno 421. Alipium Tagastensem ex Africâ in Italiam navigasse rectè observavit Thomas de Herrera in M-S. Bibliothecâ Augustinianâ in Notis ad lib. 2. de Nupt. & Concup. ubi ait: *Anno 421. circa Julium, vel Augustum Alipius à Papâ Bonifacio accepit duas Epistolas Pelagianorum, quorum alteram Julianus Roman, aliam verò decem & octo Episcopi eadem labe infecti ad Episcopum Thessalonicensem miserant.* Alipius in Italiam veniens rectâ Ravennam se contulit, ut Valerio Comite intercedente, Africanorum Præsulum causam in quæstione de appellationibus Imperatori commendatam faceret, ne gravioribus inter Episcopos Africanos, ac Romanos Pontifices dissidiis concertaretur, simulque ut novis Pelagianorum conatibus obviam iretur; nam in Italiâ novas iterum turbas eisdem dare fama erat; Alipius in junctâ legatione perfunctus, antequam Ravennâ discederet, à Valerio Comite intellexit, quæ contrâ Augustini librum de Nuptiis, & Concupiscentiâ Pelagiani garrissent, à quo etiam literas ad Augustinum deferendas accepit. Indè Romam profectus perhonorificè à Bonifacio Pontifice excipitur, illum enim & natalium splendor, & eximia eruditio, ac sanctioris vitæ professio plurimum decorabant; His accedit, quòd Bonifacius jam olim à Legatis intellexerat, quantum in magnâ Synodo Carthaginensi anno 419. pro Apostolicæ Sedis honorificentia insudasset. Inter familiaria colloquia frequens de Augustini ingenio, ac doctrinâ mentio habita fuit, de quâ re juvat Sanctum Doctorem audire in Procæmio librorum, quos eidem Bonifacio Papæ nuncupavit: *Postquam te etiam presenti à corporali frater meus vidit Alipius, acceptusque à te benignissimè, ac sincerissimè mutua miscuit dictæ ante dilectione colloquia, recumque convivens, & parvulo licet tempore magno tamen tibi junctus affectu se simul, & me refudit animo tuo, te quo mihi reportavit in suo, tanto major in me tua Sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia.* Interè Alipius excerpta quadam ex quatuor Juliani libris, quos recens contrâ volumen Augustini de Nuptiis, & Concupiscentiâ emiserat, à Valerio Comite transmissa accepit, quæ unâ cum binis ejusdem Hæretici literis sibi à Bonifacio datis paulò post in Africam ad Augustinum detulit.

Hoc sanè Bonifacii Papæ triennio ingentes labores subijt Augustinus, nam non modò tot subinde occurrentibus occupationibus intermissa grandia illa volumina de Civitate Dei, & Trinitate continuavit, sed etiam contrâ Arrianos, Donatistas, Marcionistas, aliosque turbidos homines libros exaravit, ut vix illi unquam spiritum colligere licuerit; recitantur libri eo tempore elucubrati in posteriori Retractionum volumine. Cæterùm acceptis ab Alipio Pelagianis literis, & excerptis, illâ statim dubitatione percussus est, expectandine essent integri quatuor Juliani libri, quòd exactiorem responsionem adornaret? verèbatur enim, ne excerptor necessaria quædam omisisset, quibus non solutis victoriam sibi

postea adversarius caneret; sed responsionem eâ ratione non distulit, quòd nec Valerius integros quatuor libros expectasset, undè sunt illius verba ad eundem Comitem lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 2. *Nisi & ego responsionem differre noluissem, sicut nec tu transmissionem scriptorum, quibus respondendum est, distulisti.* Itaque alterum statim librum eodem titulo inscriptum in defensionem prioris de Nuptiis, & Concupiscentiâ submisit Valerio suo pariter nuncupatum. In eo probat, Catholicorum dogmata multum à Manichæorum deliriis distare, nasci pueros sub Dæmonis potestate ob originale peccatum, malam esse concupiscentiam, bonas autem nuptias, quæ benè utantur malo: circumcisionem in veteri testamento pueros originariæ labi exemisse: bonum esse hominem a Deo factum, sed malum deputari Dæmoni, quo auctore homo est vitiat: ex Divo Paulo aperte originalem culpam deduci, in eadem sententiâ fuisse Ambrosium, ac Cyprianum. Eodem pariter sudore Juliani ejusdem Epistolas confutavit editis contrâ easdem quatuor libris Bonifacio Pontifici inscriptis. Initio quidem omnia ejusdem censure subjiciens, *Hæc ergo, inquit, quæ istis, ut dixi, duabus Epistolis illorum istâ disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.* Primo autem libro respondet Epistolæ Juliani Romam missæ, docens, peccato Adæ liberum arbitrium non perjisse, sed libertatem ad faciendum bonum, quæ solâ gratiâ Servatoris restituitur; nuptias, ac membra conjugum esse à Deo, sed peccatum originale, quod nuptiarum fecunditatem, atque usum membrorum consequitur, non esse à Deo: malam esse concupiscentiam, nec cum illâ potuisse feliciter vivere in Paradiso terrestri primos parentes; ab ipsâ se absolvi Apostolum desiderasse captivum carne, non mente, motione, non consensu: gratiam non dari ex meritis boni inchoati: baptismum omnia delere peccata, & in primis originale. In reliquis tribus libris non unius Juliani, sed decem & octo velut Episcoporum calumnias Epistolæ Thessalonicæ scriptæ insertas repellit, docens, Catholicos non declinare ad Manichæos, sed hos intèr, ac Pelagianos regiâ viâ tutos incedere: Zosimum nunquam Cœlestii errorem approbasse, sed lenius cum illo tantum egisse: gratiam non inferre fatalem necessitatem, hanc aliquibus dari, aliis negari, nullamque indè personarum acceptionem Deo imputandam; & hæc in altero libro asseruntur. In tertio ostendit, lege Dei cognosci peccata, sed gratiâ vitari: baptismum auferre omnia peccata, at non infirmitates ex Adami delicto in posteris derivatas: gratiam Chisti omnium ætatum hominibus necessariam, nullumque sinè fide in Mediatorem posse salvari. Cum verò Augustinus ostendisset, ea Catholicis obijci, quæ ne somniarent quidem, quasi castris defensis ad hostium munitiones expugnandas erumpens, in quarto volumine Pelagianorum calumnias confutat: Ecclesiam regiâ viâ Manichæos intèr, ac Pelagianos gradiri in laude creaturæ, in laude nuptiarum, in laude legis, in laude liberi arbitrii, in laude denique Sanctorum, atque univèrta hæc in sui defensionem ineptè à Pelagianis adduci; bonam quidem esse hominis naturam, quam fecit Deus, sed malum esse peccatum originale, quod non fecit Deus; bonas esse nuptias, sed malam esse concupiscentiam, sinè quâ proles nuptiarum bonum haberi non potest; bonam esse legem, non quia sanat, sed quia ducit ad medi-

cum

cum sanantem per gratiam; bonum esse arbitrium, non cum liberum est in malo, sed cum liberatum est à malo, ut faciat bonum; denique bonos esse Sanctos, sed illis orandum semper in hac vitâ esse Deum, ne culpa eos inficiat. Quibus acutè, ac solidè probatis vanam eorum vota de Synodo Oecumenicâ, quam plenis buccis appellabant, his irridet: *Verùm istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur; Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia, & diligentia pastorali post factum illis competens, sufficiensque judicium, ubicumque isti Lupi apparuerint, conterendi sint &c.* in fine libri quarti.

Hic cum Baronio nobis res non erit, qui promiscuè ea, quæ per plures annos gesta sunt inter Augustinum, ac Julianum certamina, ad annum 419. congestit; cum Jansenio agendum est, qui in improbabilem prorsus sententiam ivit; tradit Alipium octennio post primum in Italiam iter rursus ad transmarinam venisse deferentem librum de Nuptiis, & Concupiscentiâ contrâ quatuor Juliani libellos ab Augustino elucubratum. Hoc etiam si aliis evidentioribus testimoniis non refelleretur, satis improbabile videtur, Augustinum ad eodè tardè librum illum in Italiam mittendum curasse, qui tantâ celeritate responsionem præcoci labore procuderat, ut ne integros quidè quatuor Juliani libros expectandos duxerit; & quidè initio lib. 2. cap. 2. *Nisi & ego, inquit, responsionem differre noluissem, sicut nec tu transmissionem scriptorum, quibus respondendum est, distulisti.* Item in Epistolâ ad Claudium ante lib. 1. contrâ Iulæ restatur se non distulisse, excerpta Juliani sibi à Valerio transmissa confutare; quare si tantâ celeritate manum operi admovit, cur post tot annos librum ad Valerium deferendum distulit? Sed historiam extrâ conjecturas prosequamur. Alipius uti libros Juliani in Africam deulerat, ita suum quoque esse putavit, Sancti Doctoris responsionem in Italiam ferre; quare divinæ gratiæ patrocinio suffultus iterum in remensio mare in Italiam veniens libros quatuor ad ipsum Bonifacium portavit; quod si ille iterum Romam venisset transactò octennio à primâ in Italiâ commemorazione, quam perperam anno 419. contigisse Jansenius existimavit, in Italiam advectus esset mortuo ante quatuor annos Bonifacio, qui diem obiit anno 423. VIII. Kal. Novembris; porro libros ab Alipio ad Bonifacium delatos testatur Julianus Lib. 1. cap. 85. ubi de illis quatuor libris hæc scribit contrâ Augustinum: *Sicut in his libris, quos nunc per Alipium ad Bonifacium misisti, dic capivum esse arbitrium, quod nos liberum dicimus, & lib. 2. cap. 179. idem repetit: Quod, inquit, tam nepharium est, ut eum à nobis in Epistolâ, quam ad Orientem misimus fuisset objectum, tu his libris, quos nuper ad Bonifacium misisti, negando à te propulsare coneris.* Quare Alipius iis Augustini quatuor libris Bonifacio Pontifici datis rectè Ravennam contendit, ut alterum librum Sancti Doctoris de Nuptiis, & Concupiscentiâ ejusdem Patrono Valerio Comiti traderet; hujus quoque restem habemus ipsum Julianum lib. 1. Oper. Imper. cap. 8. ubi alloquens Florum Episcopum Pelagianum ait: *Quia id impendio poposcisti, immò indixisti auctoritate patriâ, ut libro Tractatoris Pæni, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum ejus Alipius nuper detulit, obviam.* Secunda igitur Alipii in Italiam

navigatio contigit, statim ac Augustinus libros quatuor contrâ duas Epistolas Pelagianorum, alterumque de Nuptiis, & Concupiscentiâ elucubravit, adhuc insperitate Bonifacio Pontifice. Hocce verò Alipii Ravennam iter Julianus postea mille calumniis infamavit, eodè institutum dixit, ut acceptis ab Augustino muneribus Honorii Duces corrupti ipsum Imperatorem in Pelagianos facilius excitarent; Augustinum quidè sic carpit lib. 3. Oper. Imperf. cap. 35. *Cur sumptibus pauperum saginastis per totam ferè Africam equorum greges, quos prosequente Alipio Tribunis, & Centurionibus destinastis? Cur Matronarum oblati facultatibus potestates sæculi corrupistis, ut in nos stipula publici furoris arderet?* Conqueritur etiam Julianus, Valerium Comitem suâ auctoritate apud Principem obtulisse, quò minus ipsi Pelagiani in novo Concilio audirentur, in quo facta contrâ ipsos tum in Africa, tum Romæ non punirentur quidè, sed emendarentur lib. 1. ejusd. Oper. cap. 10. *Verùm Sanctus Augustinus à se, & ab Alipio illam calumniam ab impostore impudentissimo objectam procul arceat lib. 1. cap. 35. Jam verò quod etiam scribere Alipius es, neque veritus, ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terrâ, marique transeuntem, seu venientem Collegam meum Alipium susceperunt, ubi legi apertissima tua falsiloquia sine tuâ irrisione, vel potius detestatione non possunt, cui non dico impudenti, sed dementi comparatur?*

Interim Claudii Episcopi industriâ libri illi quatuor Juliani, contrâ quorum excerpta Valerio petente Augustinus scripserat, in ejusdem manus venerant, quos diligenter evolens comperit illum, qui quædam indè selegerat, non omnia posuisse, aut non ita, ut in illis quatuor libris invenerat, cum nonnulla aliquantum putaverit esse mutanda, fortasse ut eo modo quasi sua faceret, quæ aliena esse constaret. Totum igitur se colligens Augustinus grande volumen elucubravit tanto studio, labore, ac diligentia, ut modestissimi vir ingenii illud nuncupaverit *tantum, tamque elaboratum opus* 2. Retr. cap. 62. Et quidem cum in cæteris abs se adversus Pelagianos editis libris mirabilis fuerit, in hoc opere penè divinus apparuit; In reliquis lucubrationibus hastatis pugnasse visus est, in hac verò universum triariorum robur emisit. In prioribus duobus ejus operis libris, nam in sex illud distinctum edidit, procul à Catholicis amovet Manichæismi infamiam, quâ Julianus nostros in invidiam, immò in detestationem trahere conabatur, ostenditque Orthodoxos veterum Patrum illis in quæstionibus sententiæ inherere, à quâ Pelagiani miserè exorbitabant. Suam ibi Augustinus eruditionem ostendit, etenim luculentissimis tum Græcorum, tum Latinorum Patrum testimoniis quasi grandî mole adversarium opprimit his eundem compellans: *Eorum ergo appende sententias, nolo esse plures, ut eas te pigeat numerare, sed non sunt leves, ut eas dedigneris appendere, immò tam sunt graves, ut te videam sub earum onere laborare.* In fine prioris libri objectum sibi Manichæismi crimen in Juliani caput ingeniosè retorquet, qui cum suis ea doceret, quibus Manichæorum paradoxa, ac deliria plurimum promoveret, quod ubique passim postea Juliano Sanctur Doctos exprobravit.

Nihil autem magis in votis erat Augustino, quàm Julianum grande quidè, sed falso dogmate corruptum ingenium, eundemque sibi carissimum Ecclesiæ lucrari, & ad Catholica castra ex Pelagianorum turmis revocare; hinc illæ mitissimæ cum superbissimo, ac ferociente hoste voces: *Ego quidè pro dilectione,*

Anno
422.

dilectione, quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit, ut de medullis mei cordis extirpes, malle, fili Juliane, ut juvenute meliore, atque fortiore te vinceres: lib. 1. cap. 7. & initio tertii libri ait, Ita tibi, dilecte fili Juliane, Domino donante respondere debeo, ut ferè nescias, utri palma adscribenda sit, eruditioni, quæ cæteros Doctores hac in palæstrâ superavit, an lenitati, quæ offensi tot contumeliis animi motus ingenti virtute repressit. Itaque duobus prioribus libris ex Patrum sententiis contextis pugnat, quatuor reliquos totidem Juliani libris opponit; In horum primo, nempe tertio ejus voluminis, id agit, ut appareat, cum Deus verus, & bonus sit hominum conditor, bonæque sint nuptiæ ab ipsomet Deo institutæ, malam tamen esse concupiscentiam carnis, eoque malo bene uti pudicitiam conjugalem, meliusque non uti continentiam sanctiorem: illud malum nobis non ex substantiâ aliâ, quam Deus non condidit, nobis permixtum esse, ut Manichæus insanit, sed per Adæ inobedientiam exortum, ac in posteros traductum solâ baptismatis gratiâ expiari. In quarto demonstrat, malam esse concupiscentiam ex peccato ortam; virtutes gentilium superbiæ typho inflatas in vitia defuisse; gratiam neque ex meritis dari, neque necessitatem homini inferre; Nuptiarum bonum mederi concupiscentiæ malo, Ethnicos cognovisse malam esse concupiscentiam; nullum pudorem ex illa oriturum fuisse Adamo non peccante, eam tamen in brutis esse bonam, quòd in illis nullam rebellionem foret. Libro quinto tradit, imagini Dei magnam pœnam esse excludi à regno Dei; pudorem ortum ex primo peccato; posse peccatum esse alterius peccati pœnam; ex eadem massâ humani generis damnatâ alios gratis prædestinari ad gloriam, alios in damnatione relinqui: concupiscentiam susceptam Pelagianorum esse naturâ vitium, esse malam, etiam si ei non consentiatur; fuisse semper in Orbe salutare remedium ad delendum peccatum originis. In ultimo denique ostendit, nasci infantes peccato originali infectos, idque oleæ, & oleastri exemplo congruenter explicari: tolli per baptismum ejus reatum, quo omnes sub Dæmonis potestate nascuntur; tantis vitæ miseriis peccati reum oriri hominem probari, ineptèque ab hæreticis Pauli testimonia exponi. Hi libri tantis divinæ scripturæ testimoniis, tot Patrum sententiis referti sunt, ac tantis è subtiliori philosophiâ rationibus præmuniti, ut Julianus iis penè victum se falsus sit, nihil enim contrâ eosdem scripturire ausus, toto hoc campo ejectus intrâ silentii latebras se se occultuit. Hos libros Augustinus dicavit Claudio Episcopo, qui quatuor Juliani libros ad ipsum transmisserat. Edito hoc volumine Sanctus Doctor per quatuor ferè annos nullis Pelagianorum insultibus distractus fuit, quare peccata cuncta fuere usque ad annum 427. quo tempore iterum adversus Pelagianos stylum distrinxit.

CAPUT XXII.

Moriur Honorius Imperator, ac postea Bonifacius Papa. Pelagiani à Cælestino ex Italiâ ejecti. Julianus cum Collegis in Ciliciam ad Theodorum Mopsuestenum navigans eodem Magistro oculo contrâ Sanctum Augustinum libros ibidem conscribit.

Anno 423. **O** Bjit anno 423. die 15. Augusti Honorius Imperator; Fuit hic Catholicæ religionis vindex

acerrimus, & ob latas contrâ Donatistas, & Pelagianos leges Augustino unicè dilectus; Cum verò finè prole deceffisset, vacantem Occidentis regiam Johannes Scribarum Præfectus occupavit; Placidia enim Honorii soror cum filiis ab eodem ex Italiâ expulsa ad Theodosium se receperat. Die verò 25. Octobris Bonifacio etiam Pontifice mortuo Cælestinus subrogatus fuit. Quantum Bonifacius Augustino detulerit, patet ex iis, quæ superius nobis descripta sunt. Sanctus Prosper contrâ Collat. cap. 41. hæc ait: *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum catholicâ devotione gaudebat, & contrâ inimicos gratiæ Dei non solum Apostolicis, sed etiam regis utebatur edictis; Et quando idem, cum esset doctissimus, adversus tamen libros Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa poscebat.* Cælestinus Decessorum vestigia sequens Pelagianorum conatus infregit, totaque illos Italiâ excludit; Illi quidè singulos quosque Romanæ Ecclesiæ Præsules sub eorundem Pontificatus initiis subdolè tentare sueti, iisdem artibus in Cælestini gratiam irrepere satagerunt; at Decessoribus longè sibi infestiorum Cælestinum experti sunt, nam ubi sub Bonifacio extrâ centesimum ab Urbe lapidem ex Constanti Imperatoris decreto degere jussi sunt, Cælestinus procul ab Italiâ finibus eisdem ejecit; testatur hoc laudatus Prosper: *Venerabilis, inquit, memoriæ Pontifex Cælestinus, cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicii, sed solam pœnitentiæ remediū esse præstandum, Cælestinum quasi non discesso negotio audientiam postulantem totius Italiæ finibus jussit excludi.* At non unus Cælestius, sed sectatores etiam irati Pontificis minas reveriti Italiam reliquerunt.

Julianus accepto Augustini altero de Nuptiis, & Concupiscentiâ volumine, quod Alipius ad Valerium ex Africâ detulerat, hortante Floro Episcopo Pelagiano responfionem præcoci ingenio meditatus, statim manum operi admovent, unum enim, & alterum librum vivente Bonifacio illum scripsisse colligo ex iis, quæ idem habet initio ferè libri primi: *Indixisti, inquit, auctoritate patriâ, ut libro Tractatoris Pani, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum ejus Alipius nuper detulit, obviam: cap. 8.* Ibidem etiam hæreticus vellicat quatuor Augustini libros ad Bonifacium scriptos, quos cum Lib. 1. cap. 85. ab Augustino nunc & Lib. 2. cap. 179. nuper ad Bonifacium missos scribat, non obscure indicatur, eosdem adhuc Bonifacio superflite inchoatos. Cum verò lib. 3. cap. 104. dicat; *Etiam illorum scriptorum, quæ ad Bonifacium miserat, insertione partefeci,* liquet tertium librum, ac reliquos post Bonifacii obitum esse exaratos. Julianus, ac Collegæ Cælestini decreto Italiâ excedere coacti in Ciliciam ad Theodorum Mopsuestenum navigare decreverunt; sciebant enim quantâ Theodorus benevolentiam suam ipsorum sectam, cujus idem primus magister fuerat, complecteretur. Idem etiam Julianus plurimum ex Theodori sermonibus adiumenti sibi pollicebatur, quò validius inchoatum adversus Augustinum opus communire. Horum auctor venit Marius Mercator in Comonitorio contrâ Julianum pag. 13. in M. S. Bibliothecæ Palatinæ apud Vaticanum num. 234. *Simul, inquit, admonere volens Julianum etiam Episcopum oppidi Eclanensis hæreticum Pelagianum, seu Cælestianum hunc secutum esse Theodorum, ad quem peragratis terris, & exarato mare, atque Oriente lustrato cum sociis, & participibus sanè*

Synaleptoris

Sunt de poris suis magno nisu tanquam ad Christianorum dogmata predicatum magistrum tetendit, unde heresis Pelagiana, seu Caelestiana, quam defendendam, & sequendam suscepit, ab ipso confirmaretur, atque inde velut instructus octo contra fidem Catholicam potius, quam sanctae memoriae Augustinum volumina illa, ut putat, prudentissima conderet. Ex his constat, alios quoque Episcopos Pelagianos unà cum Juliano longissimam in Ciliciam peregrinationem suscepisse.

Cæterum Julianus scribens ibidem octo contra unum Sancti Augustini libros Theodori doctrinam in quinque contra Dialogos Sancti Hieronymi voluminibus ab eodem assertam suis illis luebrationibus inferuit, quod etiam in aliis prioribus scriptis fecerat, in quibus Theodori argumenta repetit, ut fragmenta hujus apud Photium Cod. 177. cum Juliani dictis conferenti patet. Hæreticus amissi Episcopatus dedecore, atque ex illiis miseriis exagitationibus tantâ rabie in posteriori hoc opere in Ciliciâ confecto contra Augustinum debacchatus est, ut infamia quæque dicitur in prioribus contra Sanctum Doctorem libris effusa in laudum ferè loco censerit possint, si cum his calumniis comparentur, quas Theodoro favente Augustino importavit; vocat enim eundem ignominia causâ Numidam cetratum, Tractatorem Pœnum, Philosophastrum, pistillo obtusorem, vituperatorem Sanctorum, Patronum Arianorum. In Præfatione lib. 1. & 5. scribit, sibi quanto durior, tanto honestior tuendæ veritatis causam esse factam; receptui minimè canendum; haud decere ulcisci silentio contumelias, & de conscientia portu aliorum ridere naufragia; moveri se ad scribendum contra Augustinum benignitate debitâ humano generi, spe, ac fide in Deum, qui frequenter desperatis rebus opem tulit: at si optato exitu frustraretur, Dei remuneratione donandum; supra casus ancipites suum ipsius opus evasisse, & invincibilis cluere possessionem victoria; Non pendere se ad prosperitatis popularis eventum: sub ambiguo rerum exitu stare piorum certam sententiam, idola respuendi, supplicia perferendi. Optare denique se persecutionem tumore compresso etiam populis subvenire, & si secus accideret, malle quicquid acerbum est contumeliarum, & periculorum perpeti, quàm non averfari illuviem, fordesque Manichæas. Hæc, & similia hæreticis familiaria Julianus evomit. Hos octo libros Floro Episcopo Pelagiano nuncupavit, à quo Manetis Epistolam Constantinopoli inventam acceperat, ex quâ plerasque sententias in hisce voluminibus exscribit, easque Augustino, cæterisque orthodoxis petulanter æquè, ac falsè exprobrat, quasi cum Manichæis in sententiarum paradoxis colluderent. Porro Julianus multum temporis illis libris scripturiendis impendit; illorum exemplaria anno tantum 427. ab Alipio Romæ reperta ad Sanctum Augustinum confutanda transmissa sunt, ut suo loco dicitur. Scribit Marius Mercator contra Julianum: *Id nunc isto opere tuo post longum tempus elaborato in Ciliciâ ingeris. Necessariâ igitur capituli repetitione quid mare exarato, & Oriente lustrato novum, inauditumque inde attuleris, denuo perscrutemur.* Ex quibus Julianum diuturniores in Ciliciâ moras fecisse arbitror fortè usque ad obitum Theodori sui Meccenatis, ac magistri, qui circa annum 427. fatis concessit, de quâ re ex professo Lib. 2. cap. 4. sermo redibit. Porro Julianus, quod patrono, eidemque magistro gratas obsequii vires redderet, in hisce octo libris ubique Theodori

sententias, & auctoritatem supra cæteros illius ætatis scriptores ad invidiam usque inculcavit, & licet in fragmentis apud Divum Augustinum in Opere Imperfecto id non appareat, hoc tamen à Mario Mercatore, qui eosdem libros impugnavit, expressè affirmatur in hæc planè verba: *Non itaque irascatur, vel succenseat nobis, si eum cum Theodoro, cujus in libris suis infinitas laudes exequitur, ejusque sanctæ auctoritate sententiæ in suo errore gloriatur, alienum à fide catholica esse justèque damnatum detegimus, evincimus, atque dessemus.* Julianus in his octo libris in prioribus quatuor abs se asserta operosius communire tentavit, Apostoli testimonia ab Augustino adducta pravis interpretationis exposuit: concupiscentiam inter naturalia bona recensuit: nullum esse originale peccatum, neque ex illo humanæ vitæ miseriis derivasse: liberum arbitrium nullam ex peccato Adæ pronitatem ad peccandum contraxisse, sed in æquilibrio tam ad bonum, quàm ad malum æquâ ad utrumque potestate consistere: gratiam quidem per baptismum infundi, sed quæ adoptionem ad regnum cælorum largiatur, non quæ primigeniam aliquam labem à pueris in baptismo contractam amoveat: mortem denique, ac partus dolores etiam Adamo non peccante posteros subituros. Quæ sanè tanta verborum copiâ, tantâ orationis elegantia, tanto denique argumentorum apparatu exequitur, ut Theodori ingenium, ac magisterium ibi relucent, ac planè constet, tantas ab Hæresiarchâ erectas contra Catholicam fidem machinas unius Augustini manu everti potuisse.

Insignis annalium Ecclesiasticorum Scriptor ad annum 419. Num. 52. putavit hosce octo Juliani libros editos fuisse contra sex Sancti Augustini, quibus priora quatuor Juliani volumina confutaret. Sed non ita est; nam cum octo libros Julianus in Ciliciâ componeret, Augustinus sex illos in Africâ scribebat. Et quidem Sanctus Doctor disertè affirmat octo Juliani libros contra alterum ab se de Nuptiis, & Concupiscentiâ editum depugnare: *Factum est, inquit in Præfatione Operis Imperfecti, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem, contra quem Julianus alios octo nimis loquacitate conscripsit.* Et Libro 4. cap. 5. palam idem testatur addens, nihil à Juliano contra sex illos suos scripturatum fuisse; *Si ergo, ait, talibus incrementis loquacitas tua promoveretur, quem non terreat non veritas, sed numerositas librorum tuorum, quam computare me piget? Homo enim supendâ ubertate facundus, qui prius uni meo tuos quatuor, & alteri meo tuos octo putasti esse reddendos, quis non timeat, ne fortè sex libris meis amplius, quàm mille tuos reddere mediteris.* Idem etiam Baronius num. 53. Gennadium reprehendit, quòd scripserit, Julianum septem contra Sanctum Augustinum libros edidisse, quod itidem Honorius Augustodunensis Gennadii exscriptor affirmavit. Video Gennadium in Editione Suffridi ita loqui, sed Suffridus in depravatos codices incidit; nam in Gennadio typis Frobenianis apud Basileam inter opera Sancti Hieronymi excusò hæc de Juliano leguntur: *Hæresim Pelagii defendere nixus scripsit adversus Augustinum impugnatorem illius libros quatuor, & iterum libros octo.*

CAPUT XXIII.

Monachi Adrumetini in Africâ de gratiâ, & libero arbitrio litigantes acceptis ab Augustino libris in concordiam revocantur. Fuerint-ne iidem Monachi Augustiniani instituti? De Monachatus apud Africam origine Hostenii sententia expenditur. Adrumetini Monasterii insigne privilegium refertur. Leporii Monachi per Augustinum conversio eâ occasione hic recitatur.

Anno
424.

Adrumetum maritima Africæ urbs est à Phœnicibus condita inter parvam Leptim, & Aphrodisium distans Carthagine M. P. LXXXV. Uticâ verò M. P. CXX: A nostro veronense Plinio lib. 4. cap. 4. liberum oppidum, & à Divo Cypriano Epist. 45. Colonia nuncupatur. Erat Byzacenæ Provinciæ Metropolis ex Procopio lib. 6. de Edificiis Justiniani: *In Byzacio, inquit, urbs est maritima Adrumetum dicta, magna olim, ac populosa, & ob id Metropoleos nomen, & dignitatem sortita.* Ex quibus patet, lapsum esse Binium Tomo I. Conciliorum in notis ad Synodum Teleptensem, ut ipse putat, ubi ait, Teleptim fuisse Metropolim Byzacii, quod Donatianus Teleptensis non semel in Conciliis Africanis Primas Byzacenæ Provinciæ nuncupatur. Nam anno 411. uti cap. 13. prænotavimus, cum Donatianus sederet Telepte, quæ Fulgentii nostri Ruspensis Episcopi patria fuit, Mizonius erat Primas Byzacii; neque eadem erat apud Africanos Metropolis civilis, & Ecclesiastica, quod fusiùs Lib. 2. cap. 8. contra Salmasium ostendimus. Justinianus Vandalis debellatis Adrumeto ingentem murum circumdedit, validumque præsidium imposuit; undè Oppidani teste Procopio, quod munificentissimo Principi grati animi vices rependerent, urbem deinceps Justinianam diceadam decrevere. At Romano imperio everso, ac barbaris Africam occupantibus eadem civitas Mahameta nuncupata fuit, quo nomine etiamnum appellatur.

Erat in hac urbe insigne cœnobium, cujus anno nostræ epochæ 424. Valentinus præfecturam gerebat, quo tempore novæ de Gratiâ, & libero arbitrio inter Monachos Adrumetinos contentiones exortæ novos etiam Augustino labores peperere. Florus ejusdem cœnobii Monachus Uzalam ad suos profectus ad Augustinianos Monachos divertit. Uzala, vel ut ait Augustinus, Uzalis erat urbs Provinciæ Proconsularis inter Hipponem, & Carthaginem propè Uticam ex eodem Patre in Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Uzali, inquit, quæ colonia Uricæ vicina est, multa præclara per eundem martyrem Stephanum facta cognovimus.* Hujus urbis sacra administrabat Evodius, qui ex Augustini monasterio Hipponensi, ut postea patebit, ad illam Ecclesiam promotus Augustinianum institutum illuc invexerat. Florus ibidem distante Felice Monacho Epistolam celeberrimam Augustini 105. ad Sixtum, qui postea Romæ Pontifex sedit, exscripsit, eaque Adrumetum citò citiùs transmissâ Carthaginem se contulit. Monachi Adrumetini acceptam Epistolam curiosius legere cæperunt, at quod illa altissimam divinæ gratiæ, & prædestinationis mysteria continebat, non omnes germanam ejusdem intelligentiam assecuti sunt, sed in varios, & ab auctoris mente prorsus

alienos illam sensus distraxerunt, undè graviora eo in cœnobio diffidia emerere. Interim Florus Carthagine reversus, cum malè se audire intelligeret, quod ob missam Augustini Epistolam diffidorum auctor publicabatur, rem Valentino Monasteriar-chæ significavit; eas enim suorum ille contentiones ignorabat. Valentinus Epistolæ interpretationem ab Evodio Uzalensi petendam esse censebat; erat enim Evodius Augustini discipulus, & ob legationem ad Honorium anno abhinc vicefimo unâ cum Theasio Episcopo Memblositensi summâ cum laude obitam ex Epistolâ 65. Augustini, & cap. 56. Cod. Africani totâ Africâ percelebris. Idem etiam Sabinum monasterii Presbyterum virum literis apprime eruditum rogavit, ut laudatæ Epistolæ sensum exponeret, quod etiam ille satis diligenter executus est. At Cresconius, & Felix Monachi ab ipso auctore rectam Epistolæ intelligentiam accipiendam contendebant, nullus enim Augustinianæ sententiæ melior Augustino interpres videbatur. Valentinus molestè ferebat, isthæc diffidia Sancto Doctore innotescere; at eum certam utriusque ad Augustinum pergendi sententiam stare animadverteret, dato viatico eisdem Hipponem ire permisit. Scribit hæc Valentinus ad Augustinum Epistolâ 256. *Quibus propter ipsam pietatem sumptus dedimus, ne vulnera ipsorum cumulavimus.* Nullas tamen ad Augustinum literas deferendas eisdem tradidit. Quæ verò Cresconius, ac Felix Augustino narraverint, idem Sanctus Pater Epistolâ 46. ad Valentinum missâ significat: *Retulerunt, inquit, monasterium vestrum nonnullâ dissensione turbatum, eò quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium, & quod est gravius, dicant, quod in die judicii non sit vel redditurus Deus unicuique secundum opera ejus. Etiam hoc tamen indicaverunt, quod plures vestrum non ita sentiant; sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus, atque faciamus.* Cæterùm Valentinus eâ de re ad Evodium scripsit, nam Evodii responsum in bibliothecâ Monasterii Trevirensis Sancti Maximini invenit Sirmondus, ejusque fragmentum capiti 7. Historiæ Prædestinarianæ inseruit, majori longè laude donandus, si integrum Evodiana Epistolæ exemplum publicasset.

Augustinus hæcenus invecus contra divinæ gratiæ hostes, quasi mutatâ velificatione pro libero etiam arbitrio sibi pugnandum esse cognovit; librum igitur illis instruendis statim elucubravit, quem de Gratiâ, & libero arbitrio inscripsit, in quo ex arcanis sacrarum literarum liberum arbitrium probari ostendit, ubi hominibus à Deo præcepta imponuntur, divinam tamen gratiam ad divina mandata exequenda necessariam, illamque non ex meritis dari; legem absque gratiâ reos facere jubendo, gratiam bonos facere adjuvando; nullum bonum desiderium gratiam præcedere; Deum jubere quandoque, quæ non possumus, ut ab illo noverimus, quid petamus; Exemplo parvulorum statim post baptismum deccidentium ostendi, gratiam sine meritis dari, occultumque esse Dei judicium, cur unus salvetur, alter verò damnetur. Hoc libro accepto juvenes illi, ita enim ab Augustino vocantur Epist. 46. ad Valentinum, statim ad suos redire destinarant, ut eum sociis Paschalia festa celebrarent, quare Sanctus Pater laudatam modò Epistolam illis tradiderat Præfecto cœnobii Valentino, reliquive sub eo religiosis viris scriptam. At Augustinus, quò instructiores

tiores ad suos reverterentur, ad aliquot infuper dies secum illos detinendos duxit, quæ postea eidem Valentino Epistolâ 47. significavit: *Cresconium, inquit, Felicem, & alium Felicem Dei servos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha novem diebus, quos ideo tenuimus aliquantò diutius, ut instructiores ad vos redirent adversus novos hereticos Pelagianos.* Addidit Augustinus libro de Gratiâ, & Libero arbitrio Epistolâ Synodi Carthaginensis, itemque Milevitanae, ac quinque pariter Episcoporum ad Innocentium Papam, atque hujus ad omnes rescripta; rursus Epistolâ Synodi Africanæ ad Zosimum, & ejusdem Pontificis literas ad totius Orbis Episcopos, postremò etiam canones plenarii Concilii Carthaginensis anno 418. Kalendis Maii celebrati. Verùm ubi illi cum tot scriptis Adrumetum advenere, novo errori locus datus est, nam cum quidam legisset, omnia opera bona esse dona Dei, in id absurdi deflexit, ut dixerit, neminem corripiendum, si Dei præcepta non faceret, sed pro illo tantummodo orandum Deum, ut ipso donante faceret, quod jubebatur.

Valentinus dogmatis novitate turbatus rem per literas Augustino renunciavit; illæ numero 257. inter Augustinianas leguntur, in quibus gratias agit de libro, atque Ecclesiasticis literis ad se transmissis, novaque dissidia suo in monasterio ex ejusdem libri lectione suborta intimat; Epistolam per Florum, cujus alloquendi se cupidum Augustinus significaverat, transmisit. Ubi Hipponem Florus, ac socii advenere, Augustinus Florum exactam Epistolam ad Sixtum intelligentiam tenere gavissus est, quod initio de Cor. & Grat. his testatur: *Hanc fidem, quæ sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo; undè hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant.* Ex quibus patet, quàm injustè à Sirmondo in libro de Hæresi Prædestinarianâ cap. 1. Florus tanquam *pravae interpretationis Auctor* tradatur. Cæterum Augustinus, quòd procul ab Adrumetinis omnem errorum caliginem expelleret, nitidioris doctrinæ librum de Correptione, & Gratiâ inscriptum composuit. Hic quidem liber parvus mole est, sed doctrinâ maximus, totus mysteriis repletus, universam divinæ gratiæ Oeconomiam oculis subjicit, ut jure merito aureus à doctissimis nuncupetur. Docet in eo sapientissimus Antistes, non esse electionem luti, sed figuli, cum in eadem massâ perditionis unum vas fiat ad honorem, alterum ad ad contumeliam; perseverantiam in bono esse donum Dei; homines prædestinari ad gloriam, & gratiam non secundum eorumdem propositum, sed Dei: Voluntatem hominis non libertate gratiam consequi, sed gratiâ libertatem; mysterium gratiæ prædestinationis in parvulis elucere; Diversam esse gratiam hominis innocentis, & reparati, esse illam adiutorium quo fit, ut possimus benè agere, si volumus, hanc verò reapse facere, ut velimus; undè una est adiutorium *sine quo non*, altera adiutorium *Quo*, ista enim humana voluntas *indeclinabiliter, & insuperabiliter* agitur. Ego quidem hunc librum soleo appellare clavem, quâ ad universam Augustini de divinâ gratiâ, & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur; quem sanè librum Sanctus Prosper merito *plenum divine auctoritatis* in Epistolâ ad Augustinum nuncupavit. In eodem verò volumine Semipelagianos, qui postea in Galliis emerere, solidissimè evertit,

undè contrà illud ea gens accerrimis odiis linguas acuit, ut inferius dicitur.

Hos Adrumetinorum Monachorum tumultus Baronius anno 418. contigisse scribit ibidem Num. 18. at Torellus Tom. 1. sæculi August. anno 417. eodem alligat; sed falsam esse eorum opinionem certum est, uti etiam, quod putavit Jansenius, decennio post, nempe anno 428. ea dissidia apud Adrumetum emeruisse. Baronius inde refellitur, quòd Monachi illi ante Pascha Augustinum adierint, ut ex Epistolâ 46. & 47. ad Valentinum patet; Epistolâ verò ad Sixtum scripta fuit exeunte ferè eo anno 418. vel certius aperiente se mare anno sequenti Firmo Presbytero eandem ex Africâ in Italiam deferente; Etenim Epistolam Sixti datam anno 418. post Pelagianorum damnationem Firmus Hipponem detulit absente Augustino, qui initio ætatis eo anno morabatur Carthagine, ubi Synodus agebatur, die verò 20. Septembris erat Cæsareæ ex initio gestorum cum Emerito Donatistâ, quare circâ Autumnum Hipponem reversus Sixti Epistolam ad se missam invenit, cui ubi per Albinum Romam proficiscentem rescribendi occasio se se obtulit, brevem Epistolam rescripsit, quæ est numero 104. deinde per Firmum longiorem alteram submisit, quam cum Monachi Adrumetini non intelligerent, dissensionibus locum dedere. Hinc anno 418. memorata Adrumetinorum litigia non contigere; Præterea Augustinus Epistolâ illâ 47. scribit, se mittere Adrumetum præter Innocentii, & Zosimi literas *quod posteriori concilio plenario totius Africae contrâ ipsum errorem breviter constituitur.* At literæ Zosimi in Africam anno 418. pervenere III. Kalendas Majas, & Synodus plenaria Kalendis Maii habita fuit Carthagine, quâ ergo ratione circa Pascha illius anni, quod celebratum fuit VII. die Aprilis Cyclo Solis VII. Lunæ I. lit. F. mittere potuit Augustinus Zosimi Epistolam encyclicam, & canones Concilii plenarii Carthaginensis? Quare circâ annum 424. pro componendis Adrumetinis de divinâ gratiâ rumoribus duos illos Augustini libros proculos dicimus, quòd illos in fine suorum operum in libris Retractionum Sanctus Doctor recensuit; Ex quibus errare etiam Jansenium patet, dum decennio post annum à Baronio assignatum scriptos eosdem libros autumat, cum libri Retractionum anno 427. ab Augustino ad exitum perducti sint, in quorum calce, uti diximus, libri scripti ad Adrumetinos memorantur.

Augustiniani instituti Scriptores memoratos Adrumetini cœnobii Monachos inter nostros numerant, adeoque confidenter Aloysius Torellus hoc ipsum sibi persuasit, ut in sæculis Augustinensibus ad annum 402. num. 2. id *extra dubium* esse pronunciaverit, eâ præsertim opinione ductus, quòd unica Augustini regula id temporis in Africâ vigeat. Et quidem nostri homines Monachos ab Augustino Africæ primitus inventos ad eò manifestis argumentis evicere, ut apud æquos iudices id extra dubium posuerint. Eos inter eminentes superflites Patres doctissimi, atque eruditissimi Christianus Lupus Doctor, ac Professor Lovaniensis, Joseph Sabbatinus Ravenas, & qui eo in campo totis lacertis depugnavit, laudatus Torellus Bononiensis, quos viros amoris, & honoris causâ nomino. Quare fati erit illud ipsum paucis hic indicare. Cum Sanctus Pater esset Mediolani, antequam baptizaretur, cum Potitiano concive, ac insigni Theodosii Duce verba fecit, de quo colloquio inter alia hæc refert lib. 8. Confess. cap. 6. *Indè*

sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, & mores suavolentia tua, & ubera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Ignota ergo erat Augustino Monastica professio; atque adeo nullum illius instituti cœnobium nec Carthagine, nec alibi in sua provinciâ viderat, antequam in Italiam transmitteret. Hinc lib. 2. Retract. cap. 21. scribit: *Ut de opere monachorum librum conscriberem, illa me necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alii de suis manibus transigebant &c.* Quare recens erat apud Carthaginem monasteriorum constructio. In eo verò volumine cap. 28. ait: *Sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.* Nova erat monasteriorum in Africâ plantatio, quam tamen latius per eam regionem propagari Augustinus optabat. Hinc Circumcelliones pessima Donatistarum factio novum Monachorum nomen Catholicis exprobrabant teste Augustino in psal. 132. *Quando vos rectè Hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, illi vobis insultant de monachis: Dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? Adeo Afris nova prorsus, & incognita erat Monachismi professio, ut nec nomine tenus eandem cognoscerent.*

Porrò hoc sanctioris vitæ institutum ab Augustino primitus Africæ inventum probatur luculentissimo Sancti Patris testimonio, in quo nostri Scriptores jure sibi triumphum canunt. Lib. 3. contra Pet. cap. 40. hæc scribit: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, ac monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum; Quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.* Videtur, ut Petilianus tanquam inusitatum, ac prorsus in Africâ novum Monachorum genus traducit? Erat verò Petilianus Episcopus Cirtensis inter Donatistas magni nominis, & in collatione Carthaginensi à Fortunatiano Siccensi Episcopo Collat. 1. cap. 217. itemque à Marcellino iudice Collat. 3. cap. 190. cum honoris præfatione nominatus fuit; Quomodo ergo vir talis adeo palam mentiri ausus fuisset? At mentitus fuerit, cur Augustinus aperta falsitatis eundem reum non peregit? Monastica ergo vitæ institutio in Africâ vel ipsorum hæreticorum confessione fuit Augustinus. Hinc rectè magnus Ecclesiasticorum annalium conditor Baronius scribit ad annum 504. *Sed unde hujusmodi monastica institutio fluxit in Africam? Si rectè memoriâ tenes non ab alio, quam ab ipso Sancto Augustino, qui eandem ex Romanâ, & Mediolanensi Ecclesiâ primitus mutuatus in Africam invehit, atque latissimè propagavit.*

Lucas Holstenius novam prorsus sententiam tenuit de Origine Africani Monachatus; etenim in præfatione ad Collectionem regularum cap. 2. ait: *E Caprariâ insulâ, ubi greges fuisse Monachorum indicat Rutilius Nymatinus scribens circiter annum Christi 416. missi ad S. Augustinum Monachi id institutum in Africam intulerunt, quod ibi receptum est, nequicquam Donatistis obstantibus.* Vir doctissimus, & antiquarum schedarum diligentissimus perscrutator illius dicti neminem testem laudavit, neque illud à nobis ullo pacto admitti potest. Scribit S. Augustinus Epist. 81. ad Monachos Caprariæ, & quidem jam Episcopus, nam ibidem inquit: *Nostras sæpè sarcinat, & debilitat caligo, & tumultus secularium actionum, quas etsi nostras non habemus, eorum tamen, qui nos anguriant mille pas-*

sus, & jubemur ire cum iis alia duo, tanta nobis ingeruntur, ut vix respirare possimus. Joannes Marquez vir doctissimus putavit hæc literas scriptas fuisse ab Augustino Presbytero, & nondum Episcopo ex hac epigraphæ: *Domino dilecto, & exoptatissimo fratri & compresbytero Eudoxio, & qui tecum sunt fratribus, Augustinus, & qui necum sunt fratres in Domino S.* Sed labitur vir eruditus; nam Augustinus Epistolam 105. datam anno 418. ita inscribit: *Sancto fratri, & Compresbytero Sixto; item Epistolam 86. Casulano Compresbytero; rursus Epistolam 122. Compresbytero Victorino; imò Epistolæ 62. hunc titulum ponit: Condiacano Cælestino Augustinus.* In laudatâ autem Epistolâ ad Caprariæ Monachos ait: *Nam & antè jam fama, & nunc fratres, qui venerunt à vobis Eustatius, & Andreas bonum Christi odorem de vestra sanctâ conversatione ad nos attulerunt.* At Augustinus antequam baptizaretur Monachorum nomen ignorabat, Africa dein restitutus Monachum statim induerat, & paulò post Episcopus fuerat designatus, quo tempore fama tenus Caprarienses Monachos sibi notos fuisse affirmat; duos verò illos Caprarienses Monachos ad se venisse, cum jam Episcopus esset, patet ex illis verbis: *NUNC fratres, qui venerunt à vobis,* ut planè appareat, falsum esse, misos ad Sanctum Augustinum è Caprariâ Monachos cœnobiticum institutum Africæ primitus intulisse. Quo anno Caprarienses Ascetæ in Africam transfretarint ex Orofio lib. 7. cap. 36. satis intelligitur; Gildone enim contra Honorium in Africâ rebellante, Mafcezil Tyranni frater ab Imperatore contra eundem dux designatus, antequam in Africam transmitteret, *Caprariam insulam adiit, unde secum sanctos servos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit.* Horum ille potius supplicationibus, quam numero militum acie superior evadens Tyranno ad laqueum adacto tumultus compressit Honorio IV. & Eutychiano Consl. quare anno 398. cum Imperatoriâ classe Monachi Caprarienses in Africam delati & Augustinensium Monachorum famâ permoti ad Hipponensem Episcopum religiosi per Africam instituti conditorem perrexere, qui tunc primâ eos vice præsentis vidit, cum famâ tenus eorundem antèa nomen tantum intellexisset.

His de Augustiniano Monachatu indicatis, quæ pluribus nostri Scriptores profequuntur, ad Adrumetinos Monachos sermo iterum vertendus est, atque eorundem institutum indagandum. De Augustiniano Hipponensi monasterio ejusdem monachus dein Calamensis Episcopus Possidius scribit cap. 11. *Proficiēte doctrinâ divinâ sub, ac cum Sancto Augustino in monasterio Deo servientes Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescēte, & clarescēte de die in diem Ecclesiæ Catholice prædicationis veritate, sanctorumque Dei proposito, continentia, paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum memorabilem virum esse, & crescere cœperat magno desiderio poscere, atque accipere Episcopos, & clericos pax Ecclesiæ, atque unitas & cepit primò, & postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse novi, sanctos, ac venerabiles viros, continentēs, & doctissimos Beatus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes Domini Ecclesiis propagatis, & monasteria instituerunt, & cæteris Ecclesiis promotos fratres ad Sacerdotium præstiterunt.* Habes hic ex uno Augustini monasterio per ejusdem Monachos ad Episcopatum promotos per Africam monachissimi propagationem; loqui verò Possidium de mona-

monasterio Monachorum, non Clericorum comper-
tum est, scribit enim, *in monasterio Deo servientes*
Hipponensi Ecclesia ordinari cepisse. Non ergo erat
monasterium Hipponensium Clericorum, sed Mona-
chorum, qui postea in Clerum transcribebantur.
Eos inter, qui ex eodem cœnobio ad sacras cathedras
evecti sunt, fuit Evodius Episcopus Uzalensis in
provincia Proconsulari, qui in sua urbe monasterium
pariter instituit. Hic Christianis sacris initiatus Medi-
olani cum Augustino aliquantulum moratus cum
eodem in Africam redierat ex lib. 9. Confess. cap. 8.
ibique sub eisdem disciplinâ monachum induerat ex
Epistolâ ejusdem inter Augustinianas 258. Dein
Uzalensis Episcopus designatus eâ in urbe monaste-
rium se habuisse testatur in fine libri 2. de miraculis
Divi Stephani in appendice Tom. 10. Sancti Augusti-
ni, ubi de Florentio ad Divi Stephani aras pro recu-
peratâ valetudine solvendi causâ voti Uzalam adveni-
ente scribit: *Monasteria quoque ingressus venerabili Epif-
scopo, simulque servorum Dei ad se concurrenti choro om-
nia hæc enarravit.* Fuisse verò illud monasterium non
Clericorum, sed Monachorum patet ex Epist. 258.
in quâ Evodius scribit juvenem, quo exceptore ute-
batur, filium fuisse presbyteri Armeni Melonitani, ad-
ditque, *agrotavit sexdecim diebus apud parentes suos.*
Itaque Armenus presbyter non vivebat in monasterio
in domo Episcopi clericus regularis. Rursus mortuo
eodem puero ait: *Pater ipsius presbyter cum sene Thea-
sio in monasterio esse ceperat consolandi se gratiâ.* Ex
his colligitur presbyterum e domo propriâ, in quâ
filius obierat, ipseque habitabat, in monasterium se
recepisse, undè Evodius Uzalam clericos sub regulam
non adegit. Ex hoc monasterio Uzalensi Adrumetinum
inde plurimum distans derivasse nostris proba-
bile videtur; siquidem cum Adrumetini Monachi
Uzalam se conferebant, in Augustiniani instituti
cœnobio ab Evodio extracto benignè excepti dege-
bant ex Epist. 256. Valentini ad Augustinum. Eâ
enim occasione Florus in Uzalensi monasterio Epif-
tolam Augustinianam ad Sixtum exscripsit, atque ad
Adrumetinum cœnobium misit. Postea verò diffidiis
obortis, in varios enim sensus eadem Epistola dis-
trahebatur, Valentinus Cœnobiarcha ad Evodium
Uzalensem rem componendam deferre statuit: *Propo-
posui, inquit, ad auferendas impias questiones, ut ad
Dominum sanctum Patrem Evodium mitteremus, ut ipse
nobis de hoc sacrosancto libro propter ignavos aliquid cer-
tius rescripsisset.* At cur Valentinus Episcopum
Adrumetinum de proximo non consuluit? Sederint
tunc Adrumetri Filocius, qui anno 411. collationi
Carthaginensi interfuerat, vel Felix, qui sub Gense-
rico eandem Ecclesiam regebat, teste Victore Vitenfi
lib. 1. de persecutione Vandalicâ, vel alter nescio
quis medius inter utrumque, in incerto est. Ex his
nostri putant probabiliter inferri, ab Evodii disci-
pulis monasterium illud apud Adrumetum extruc-
tum; nam & Evodium Patrem Valentinus appella-
bat, & pro eâ, quâ pollebat auctoritate, monasterii
diffidia eundem componere posse sperabat. Quod ve-
rò Adrumetini Monachi Sanctum Augustinum uti
supremum Monachorum Patrem, à quo universus
Africa monachus natales traxerat, revererentur, ex
fine laudatâ Epistolâ Valentini iidem colligunt, ita
enim concludit: *Si quid autem famulus tuæ Sanctitatis*
frater suggererit Florus pro regulâ monasterii digneris,
*PATER, petimus libenter accipere, per omnia nos infir-
mos instruere.* Hæc pro Monachatu Augustiniano
Adrumetinorum Syncellitâ congerunt, quæ refero

quidem, sed nec probo, nec improbo. Unum hæc
nobis notandum venit, exemptionem Monasteriorum
à jurisdictione Episcopi Diocesani fuisse apud Afri-
canos antiquissimam. Hoc patet ex Synodo Cartha-
ginensi à Bonifacio Primate Africa anno 525. celebra-
tâ, in quâ Petri Abbatis monasterium in provinciâ
Byzacenâ non modò à Diocesani Episcopi, verum
etiam à Liberati id temporis Byzacenarum Ecclesia-
rum Primatis jurisdictione exemptum fuit. Nam Mo-
nachi dato libello supplici Bonifacio: *Poscimus, di-
xere, ut nostrum monasterium facias tuæ beatitudinis re-
gimini subjacere.* Tom. 38. Concil. Edit. reg. pag. 332.
Ibidem verò pag. 334. idem Petrus Abbas, ac conce-
lita hæc testantur: *De Adrumetino monasterio nullo
modo silere possumus, qui prætermissis ejusdem civitatis
Episcopo de transmarinis partibus sibi semper Presbyteros
ordinaverunt, Valentinum, Epiphanium, Victorianum,
& Paulum.* Ex quibus luce clariùs constat, Adru-
metinos non fuisse Canonicos regulares, ut perperam
scripsit Petrus à Sancto Trudone, tunc enim Adru-
metino Episcopo in omnibus morem tanquam subâiti
gessissent, sed fuisse Monachos ex instituto religio-
so in Africa ab Augustino primum plantato derivatos.

Occasione Monachorum Adrumetinorum ab Au-
gustino in bonam frugem revocatorum, libeat hic
extrâ ordinem alterius Augustiniani Monachi à Pe-
lagianismo ad rectum dogma Augustino auctore con-
versum historiam inferere, in quâ narratione non tem-
poris series, sed facti exemplum me ad eandem hic
recitandam movet. Baronius, ac Usserius ad an-
num 420. scribunt; Leporium Monachum non modò
Pelagianorum errores secutum, verum etiam Nestorii
hæresim de Christo Domino prædocuisse ex Cassiano
lib. 1. de Incarnat. cap. 4. ubi ait: *Leporius tunc Mo-
nachus, modò presbyter, qui ex Pelagii institutione, vel
potius pravitate descendens apud Gallias assertor prædictæ
hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à
nobis admonitus, à Deo emendatus ita malè conceptam
persuasionem magnificè condemnavit, ut non minùs penè
admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides.*
De eodem scribit Gennadius lib. de Script. cap. 59. *Le-
porius adhuc Monachus, postea presbyter præsumens de
puritate vitæ, quam arbitrio tamen, & conatu proprio
non Dei adiutorio obtinuisse crederat, Pelagianum
dogma ceperat sequi, sed à Gallicanis Doctoribus admo-
nitus, & in Africa per Augustinum emendatus scripsit
emendationis suæ libellum &c.* Hic libellus diu latuit,
donec antiquarum schedarum excussor Sirmondus il-
lum invenit, editus verò legitur tomo 38. Concil.
Edit. reg. pag. 16. Docuerat Leporius in quadam
Epistolâ errorem de Christo Domino, quem postea
Nestorius latius propagavit, nempe Deum non fuisse
ex Virgine natum, sed purum putum hominem,
qui secluso quolibet Dei adiutorio vitia carnis do-
muerat. Audiatur Leporius: *Non ipsum Deum,*
*inquit, hominem natum, sed perfectum cum Deo na-
tum hominem dicebamus, pertimescentes scilicet, ne di-
vinitati conditionem assignavimus humanam.* Erro-
rem verò, qui postea Pelagianorum proprius fuit,
olim se tenuisse hicce declarat: *Illud etiam minime
reticendum censeo, quod in eadem Epistolâ simili de-
vians errore subjunxi, Christum Dominum nostrum
sic omnia, quæ erant passionum implese, ut in nullo
quasi perfectus homo à divinitatis auxilio juvaretur.
Volens scilicet, ita in Christo hominem assignare per-
fectum, quò alienum & ab his passionibus verbum
Patris adsererem, & solum per hominem egisse
hæc omnia possibilitate naturæ mortalis sine aliquo*

Deitatis adjutorio probare conabar. Ita virtutes etiam in Christo ex solis naturæ viribus, non verò ex divinæ gratiæ adjutorio derivatas autumabat. Is autem cum in Galliis falsi dogmatis magister detectus fuisset, nec admonitus pravam opinionem deferere voluisset, Proculo Massiliense, & Cylinnio Forojulense adnitentibus è Provinciâ expulsus in Africam transfretavit, ubi Augustini præsertim argumentis convictus errores deposuit, sanæque doctrinæ aures dedit. Hinc cum pluribus in Galliis se scandalo fuisse cognosceret, palinodiæ libellum composuit, quem hac subscriptione firmavit: *Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam Deo volente in finem usque tenbo, medullitus exprimere volens in Ecclesiâ Carthaginiensi relectum subscripsi.* Nomina eidem dedere Aurelius Carthagenensis, Augustinus Hipponensis, Florentius ab Hipponne Diarrhytorum, & Secundus Megarmitanus, qui pariter de eadem Leporii conversione ad Provinciâ Episcopos scripsere. Hæc literas exhibet Sirmondus Tomo 1. Concil. Galliæ, atque insertæ sunt Tomo 4. Concil. Edit. regiæ pag. 667. cum hac epigraphe: *Dilectissimis, & Honorabilibus Fratribus, & Consacerdotibus Proculo, & Cylinnio Aurelius, Augustinus, Florentius, & Secundinus in Domino salutem.* De illius verò errore hæc tradunt: *Cum enim præoccupatus esset sicut homo in aliquo delicto, eodemque non parvo, ut de unigenito filio Dei, quod erat in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, cum autem venit plenitudo temporis, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non recta quædam saperet, nec vera sentiret, negans hominem factum, ne videlicet substantiæ divinæ, quæ equalis est Patri, indigna mutatio, vel corruptio sequeretur &c.* In quibus tamen literis, cum nullus Leporii error de divinâ gratiâ correctus asseratur, palam sit, eundem antè publicatam Pelagianorum hæresim libellum memoratum scripsisse, quod pluribus lib. 2. cap. 3. ostendemus, quo loco Leporii conversionem citrà annum 410. retrahemus.

Sed nec convenit inter scriptores, quis fuerit iste Leporius, quove tempore ab errore correctus recesserit. Flavii Dextri Chronicon anno 406. hæc habet: *Leporius Episcopus Uticensis in Baticâ prius Monachus è familiâ Sancti Augustini mutat perditam suam priorem sententiam admonitus à Sancto Augustino præceptore suo.* Quid hic dicam? Magni enim sunt Chronica Dextri, & Maximi ab Augustiniani instituti scriptoribus; at apud alios inter apocryphorum quisquillas rejiciuntur; pugnat tamen pro utroque Bivarius Cisterciensis, ac laboriosissimis commentariis utrumque defendere conatur. Illud certum est, Leporium anno 430. Presbyterum fuisse, nam Cassianus, qui eo anno libros suos de Incarnatione composuit, scribit lib. 1. cap. 4. *Leporius tunc Monachus, modò presbyter.* Et postea: *Is ergo in se reversus non solum in Africâ, ubi tunc erat, atque nunc est &c.* Itaque anno 430. erat Leporius presbyter in Africâ. Reponit Bivarius anno 406. errorem suum revocasse, & hoc Dextrum intelligere, qui tamen postea post plures annos Sedem Uticensis obtinuit, quæ interpretatio quàm violenta sit, nemo non videt. Joannes Marquez Augustinensium cap. 10. §. 4. tradit, hunc Leporium esse illum, qui legitur in subscriptione Synodi primæ Toletanæ. Errat: nam laudata Synodus

celebrata est Stilichone II. Consule anno 407. Leporius autem nec post quinque lustra inter Episcopos recensebatur. Sanctus Augustinus Epist. 110. vel potius Notarii recensentes presbyteros, qui Eradii electioni aderant in Hipponensi Ecclesiâ, scribunt: *Cum Augustinus Episcopus unâ cum Religiano, & Marciano Coepiscopis suis consedisset in Ecclesiâ Pacis Hipponensium regionum (fortè regiorum) presentibus Saturnino, Leporio &c. presbyteris.* Hæc electio contigit anno 426. quare ego hunc eundem Leporium puto, qui olim in Galliâ Monachus, postea ab errore in Africâ revocatus à Sancto Augustino, quòd satis doctus censebatur, ibidem presbyter apud Hipponem consecratus fuit. Hunc verò Leporium presbyterum Hipponensem fuisse alienigenam disertè tradit Augustinus Serm. 50. de diversis.

CAPUT XXIV.

Pelagiani Joanne Tyranno in Occidente imperante tumultuant. Valentianus occiso Joanne legem in Pelagianos promulgat. Sanctus Augustinus libros Retractionum scribens eosdem Hereticos confutat, & novis Juliani libris respondet.

Joannes occupato per vim imperio contra Theodosium exercitus ubique in Italiâ conscribebat. Hæretici, ac Pelagiani præsertim optimam sectæ promovendæ occasione nacti non modò ubique turbas ciebant, sed Romæ etiam à Cœlestini Papæ communionem palam se suspenderant. In Galliis etiam nonnulli non è plebe tantum, sed ex Antistitum numero pro hæresi liberius stare, ac loqui occæpere. Nullus tunc Imperatoris metus, nam Tyrannus Theodosiani apparatus famâ percussus, quò univèrsis gratior fieret, unicuique pro libidine de religione sentire permittebat. Is auctore Propicio lib. 2. de bello Vandalico *vir leni animo, rerum intellectu valens, & virtutem suo pretio æstimare gnarus quinque per annos imperium tenuit.* Fallitur, neque enim biennium in regno explevit. Theodosius Cæsare priùs designato Valentiano confobrino puero quinquenni, ac Placiâ amitâ Augustâ nuncupatâ, utrumque in Italiam remisit additis Ardaburio rebus Persico bello fortiter gestis satis percelebri, Aspæque ejusdem filio cum validissimis copiis; alterum etiam exercitum Candidianus ductavit. Ardaburius cum Salonas advenisset, & Aquilejam adnavigaret, improvisâ tempestate subortâ prætoriâ navi ventorum vi in hostile litus impulsâ à Joannis militibus captus, in Tyranni potestatem vivus venit, à quo tamen honorificè exceptus, & amici loco habitus sinè custodiâ Ravennæ apud ipsum degere jussus est. Placidia cum Cæsare filio, Aspæque ægrè Aquilejam pervenerunt. Vota eâ in procellâ pro incolumitate suscepta postea Ravennæ ab Augustâ persoluta sunt Tyranno occiso, gratæque redditæ lapidi insculptæ; inscriptionem dedimus cap. 20. ad annum 421. Auctor est Rubeus, qui Ravennatum res in literas digessit, post Placiâ adventum univèrsam Italiam ad Theodosii partes transisse, unâ Ravennâ, ubi Joannes morabatur, exceptâ. Sed ex Olympodoro redarguitur apud Photium Cod. LXXX. qui commentarios de Bello contra Joannem Theodosio ipsi inscripsit: Anno 425.

Capto

Capto Ardaburio *eius interim*, inquit, *filius Aspar una cum Placidia in magna rerum desperatione, luctuque versabantur, sed Candidianus multis occupatis uribus, partaque rebus bene gestis nominis claritate luctum dissipavit, animosque reddidit.* Hic Candidianus olim nuptiarum inter Placidiam, & Ataulphum Gothorum Regem Conciliator fuerat, magnaque in hoc bello victoria pars fuit, illius tamen ceteri Historici ne meminere quidem. Hic idem est Candidianus, qui postea Comes Domesticorum ab eodem Theodosio ad Ephesinam Synodum cum milite missus, quod citra tumultus eadem perageretur, omnem pro Nestorio lapidem impius movit, belloque partam gloriam præpostero hæretici patrocinio corrupit. Interim Ardaburius clam filium monuit, Tyrannum Ravennæ moras necere, atque Ætium cum ingentibus Hunnorum copiis expectari, in Ravennatam agrum antè barbarorum adventum legiones quam citius raperet, bellum de proximo tyranno ostentaturus. Aspar, qui Aquilejæ substiterat, nil moratus cum expeditissimo equitatu Venetorum fluminibus superatis in Ravennatam fines advolat; adest magnis ausis propitium Numen, etenim cum urbs stagnis undique circumflua navibus tantum adiretur, pastore quodam duce vadum nulli hæcenus tentatum invenit, atque improvise incustoditam portam occupat, eodemque impetu in Urbem irrumpens vivum Tyrannum capit, ferroque gravatum ad Placidiam Aquilejæ belli exitum opperientem transmittit. Hanc victoriam die tertiâ Octobris contigisse Panvinius putat, sed ætate incunte Joannem captum, ac paulo post supplicio traditum existimo. Scribit Socrates lib. 7. cap. 24. Theodosio ludos Circenses Constantinopoli edenti Tyranni necem significatam, qui ludis è vestigio intermissis superis gratias relaturus in templum secessit, ac paulo post iter in Italiam Valentinianum Imperatorem designaturus suscepit: At Theſsalonica morbo impeditus ulterius non est progressus; Helionem tamen Officiorum Magistrum cum coronâ in Italiam misit; ipse interim valetudine recuperatâ Constantinopolim rediit, cum pridie Atticus Antistes sepulchro traditus fuisset, qui *decimâ die Octobris* obierat: Hæc Socrates, ex quibus mense Octobris Joannem & vivendi, & imperandi finem fecisse, ut Panvinius dixit, falsum esse intelligitur. Addit Socrates: *Haud diu autem postea, nempe vicimâ tertiâ mensis ejusdem junioris Valentiniani inauguratio publicata est.* Consonat Chronicon Alexandrinum Cofs. Theodosio XI. & Valentiniano Cæsare: *His Cofs. Valentinianus junior à Theodosio creatus est Augustus mense Hyperberetæo X. Kalend. Novembris.* Nempe Constantinopoli die 23. Octobris publicata est Valentiniani Augusti designata inauguratio. Hinc errant, qui eâ die Ravennæ dictum eundem Imperatorem putant, quos inter est Riccilius lib. 4. cap. 12. Chronologiæ, ut vocat, reformatæ, itemque meus Panvinius, qui Idibus Octobris id contigisse scribit; Certum est Valentinianum VIII. Idus Octobris adhuc Aquilejæ Cæsarem, nondum Augustum fuisse ex Cod. Theod. lib. 16. L. 47. *de Episcopis &c.* ubi hæc subscriptio legitur: *Dat. VIII. Idus Octobris Aquilejæ D. N. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare Cofs.*

Placidia Augusta, ut ait Sozomenus lib. 9. cap. 16. *magnam gerens curam pro religione, & Ecclesiis plures leges Aquilejæ condidit Joanne jam neci tradito.* Contrâ Hæreticos (quos inter Pelagianos fuisse

se nulli dubium est) Romæ tumultuantes hocce rescriptum nomine Valentiniani publicavit: *Manichæos Hæreticos, Schismaticos, omnemque sectam Catholicis inimicam ab ipso aspectu Urbis Romæ exterminari præcipimus, ut nec presentia criminorum contagione fœdentur. Circâ hos autem maxime urgenda commotio est, qui pravis suasionibus à Ven. Papâ sese communionem suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitatur. His conventionem præmissâ 20. dierum condonavimus inducias, qui nisi ad communionem redierint unitatem expulsi usque ad centesimum lapidem solitudine, quam elegerunt, macerentur.* Dat. XVI. Kal. Aug. Aquilejæ Theod. XI. Aug. & Valentiniano Cæsare Cofs. Habetur lib. 16. Cod. Theod. tit. V. Antè octavam etiam diem rescriptum dederat ad Armatium Præfectum Prætorio Galliarum, in quo cap. 3. in Pelagianos Episcopos hanc sententiam scripsit: *Diversos Episcopos nefarium Pelagiani, & Cælestiani dogmatis errorem sequentes per Patroclum sacrosanctæ legis Antistitem præcipimus conveniri; & nisi intra viginti dies ex conventionis tempore (intra quos deliberandi tribuimus facultatem) errata correxerint, seseque Catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum sacerdotium fidelius subrogari; quatenus presentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futura bonum disciplina justior instituat, &c.* Data VII. Idus Julias Aquilejæ eisdem Consulibus. Hanc legem refert Sirmondus Tomo 1. Conciliorum Galliæ; itemque habetur Tomo 4. Concilior. Edit. Regiæ pag. 672.

His sanè legibus Pelagianorum arrogantia compressa est, & Placidia reportatam de Tyranno victoriam longè eisdem illustriorem reddidit; præmium autem pietatis statim subsecutum est, nam per Hellionem Valentinianus adhuc septennis Imperiale diadema, atque Augusti titulum à Theodosio accepit. Henricus Palladius lib. 10. rerum Forjulienſium Valentinianum Aquilejæ Augustum declaratum sine teste narrat. Panvinius, ac Sigonius Marcellinum Comitem secuti Ravennæ id contigisse scribunt. Sed planè credendum est Idatio, & Olympiodoro, qui tunc vivebant. Ille in Chronico hæc habet: *Valentinianus, qui erat Cæsar, Romæ Augustus appellatur.* Hic verò in fine libri ultimi apud Photium Codice laudato, ait: *Caso dein Joanne Tyranno Placidia una cum Cæsare filio Ravennam inivit. Hellion verò Magister, & Patricius Romanam se contulit, omnibusque eò confluentibus Valentinianum jam septennem veste induit Imperatoriâ.* Cum verò Valentinianus die 8. Octobris ex rescripto ad Bassum lib. 16. Codicis Theodosiani superius memorati Aquilejæ adhuc moraretur, patet exeunte tantum anno Romæ Augustum fuisse per Hellionem declaratum. Extat rescriptum datum Romæ ab eodem jam Augusto initio anni sequentis die tertiâ Januarii *Lib. 10. Cod. Theod. L. 1. de conductoribus, & hominibus domus Augustæ ad Senatum Urbis Romæ cum hac subscriptione Datum III. Non. Januarias Romæ DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. Augustis Cofs.* Ex quibus etiam deducimus Placidia matris operâ Romæ contra Pelagianos, aliosque Hæreticos Ecclesiasticam rem stabilitam; Haud tamen diutius in Urbe Valentinianus substitit, nam die 6. Martii erat Ravennæ ex rescripto ad eundem Bassum *Pr. P. Cod. Theod. lib. 10. L. 2. de conductoribus &c.* Dat. Pridie Non. Martii Ravennæ Theodosio XII. & Valentiniano II. Augg. Cofs.

Dum hæc in Italiâ gerebantur, Augustinus quasi à Pelagianis feriatuſque libros ab anno 423. uſque ad annum 426. elucubravit, hos inter principem locum tenent duo prægrandia volumina de Trinitate, & Civitate Dei, illud in libros quindecim digeſtum, hocce verò libros duos & viginti complectens. De priori ſcribit Sanctus Doctor in præſatione ad Aurelium: *De Trinitate, quæ Deus ſummus, & verus eſt libros juvenis inchoavi, ſenex edidi.* Baronius anno 426. num. 17. putat libros de Civitate Dei perfectos fuiſſe à Sancto Doctore anno 429. in quâ opinione eſt etiam noſter Coqueus in Commentariis ad lib. 18. ejus Operis cap. 54. nam Sanctus Doctor ibidem à conſulatu Manlii Theodori uſque ad illud tempus, quo librum ſcribebat, annos ſerme triginta computat at ille conſulatum geſſit anno 399. Quod autem Sanctus Pater lib. 2. Retract. cap. 43. numerat viginti duos libros de Civitate Dei, cum tamen anno 426. duo Retractationum volumina conſcripſerit. Baronius ait, illum libros 22. nominari, non quòd eoſdem integros tum temporis edidiſſet, ſed quòd univerſo operi eum librorum numerum deſtinaret. Verum oppoſitum ex Auguſtino habemus; hæc enim ſcribit lib. 2. Retract. cap. 41. *Utrum, vel quomodo Deus, qui ſpiritus eſt, etiam per corpus videatur; ſed tam poſtea quæſtionem ſane difficillimam in noviffimo, id eſt viceſimo, & ſecundo libro de Civitate Dei ſatis, quantum arbitror, explicavi.* Explicatur autem cap. 29. quod eſt totius operis penultimum; univerſum igitur volumen de Civitate Dei ante libros Retractationum terminatum fuit. Quod verò opponunt, non officit; nam triginta illi anni numerandi ſunt non à conſulatu Manlii, ſed à ſuperioris anni conſulibus Honorio Aug. IV. & Fl. Eutychno anno noſtræ Epochæ 398. ibi enim Auguſtinus confutat illud Gentilium oraculum fabuloſum, poſt annum CCCLXV. à primo Petri miraculo cultum Chriſtianum deſitutum, atque illum numerum Honorio, & Eutychno Conſulatu Idibus Maii: *Ex quo, addit, uſque ad hoc tempus per triginta ſerme annos, quis non videat, quantum creverit cultus nominis Chriſti?* Non dixit abſolute triginta, ſed ſerme triginta, quo loquendi modo aliquot annos ad illum numerum deſicere ſignificavit, nempe unum, aut alterum. Cæterum in his libris de Civitate Dei & peccatum originale, ejuſque pœnas, & divinæ gratiæ neceſſitatem ſæpè probat præfertim lib. 13. & 14. qui toti contra Pelagianam hæreſim decertant, quam etiam libro ultimo cap. 22. à fundamentis evertit.

Anno 426. Auguſtinus Pelagianis ubique terrarum proſtratis veluti foris reſelicitate geſtâ domesticis jam veluti poſſiminio animum intendens diu meditatam opus exequi conſtanter decrevit. Vivente aduc Marcellino anno 413. editos ab ſe libros cenſoriâ auctoritate recognoscere cupiebat, ſed & negociorum ſubinde ingruentium, ac librorum ſcribendorum neceſſitate præpeditus in ultimam ſenectam poſtremam illam, ac laborioſam curam diſtulera. Ad ipſum tanquam ad oraculum ex Chriſtiano Orbe Epistolæ volitabant, eundem plurimi ex remotiſſimis provinciis Conſilii cauſâ conveniebant, neque minus laborum Africani addebant, Hipponenſes veluti ſuo jure cæteris illo frequentius utebantur. Hinc Auguſtinus, quòd ſuorum voluminum Retractationem commodius perageret, nevé ad alia diſtraheretur, de ſucceſſore nominando ſeridè deliberavit. Quare pro concione cives Hipponenſes adhortatus eſt, ut Eradium Presbyterum ſcientiâ, ac pietate

florantem ſibi, quoad viveret, coadjutorem darent, dein mortuo ſucceſſorem. Quòd verò hæc Eradii inauguratio peracta eſt coram frequentiſſimo populo VI. Kal. Octobris Theodoſio XII. & Valentiniano iterum Conſ. eo ſerè modo, ſi pompam excipias, quo Auguſti Cæſares collegas Imperii deſignabant, geſtorum ordinem ex Epistolâ 110. oculis ſubdo. Hipponenſibus igitur in templo Pacis coactis, Auguſtinus brevi quidè, ſed luculentâ oratione Eradium collegam ſibi dari deprecatus eſt. Dubium mortalibus ultimum diem, ſperari in pueritiâ adoleſcentiam, in adoleſcentiâ juventam, in juventute optari ſenectam, utrum iſta mortali poſtea contingat, incertum: ſperari tamen; nullam reliquam, quam ſperet ætatem, ſenectuti relictam. Senem ſe eſſe, ac diei ſupremo proximum. Urbes graves plerumque turbas pati in Præfulibus eligendis; ſibi in votis eſſe, ne quid mali ſe mortuo Hipponenſes ſubirent. Decreviſſe Severi Antiftitiſ Milevitanî paulò antè deſuncti exemplum ſequi, qui antè obitum ſucceſſorem omnium optimum nominaverat. Hinc ſe quòque in collegam Eradium ab illis depoſcere. Tunc à Populo acclamatum: *Deo gratias, Chriſto laudes, dictum eſt viciſ ter.* Auguſtino vita: *dictum eſt tredecies. Te Patrem, Te Episcopum: dictum eſt octies.* Cumque reticeretur, iterum Auguſtinus: *Non eſt opus, inquit, me de laudibus ejus aliquid dicere; ſaveo ſapientiæ, & parco verecundiæ; ſufficit, quia noſtiſ eum, & hoc me velle dico, quod vos velle ſcio, & ſi antè neſirem, hodie probarem.* Hoc ergo volo, hoc à Domino Deo noſtro nunc etiam in ætate frigida votis ferventibus poſco, hoc ut mecum orētis exhorret, admonet, rogo, ut omnium in pace Chriſti collatis, & conſtatîs mentibus confirmet Deus, quod operatus eſt in nobis. *Qui miſit mihi eum, ſervet eum, ſervet incolumem, ſervet ſine crimine, ut qui facit gaudium viventis, locum ſuppleat morientis &c.* A populo acclamatum eſt: *trigies ſexies, Deo gratias, Chriſto laudes, exaudi Chriſte.* Auguſtino vita: *dictum eſt tredecies. Te Patrem, Te Episcopum: dictum eſt octies. Dignus, & juſtus eſt: dictum eſt viciſ. Bene meritus, bene dignus: dictum eſt quinq̄ies.* His, aliſque populi acclamationibus ſinitis, Auguſtinus, *Ego charitati, ait, & benevolentie veſtræ apud Dominum Deum noſtrum gratias ago, imo de illâ Deo gratias. Ergo, Fratres, quidquid eſt, quod ad me perſerebatur, ad illum perſeratur, ubi neceſſarium habuerit conſilium, meum non negabo auxilium. Abſit ut me abſtraham, tamen quidquid illud eſt, quod ad me perſerebatur, ad illum perſeratur. Ipſe me autem conſulat, ſi forte non invenit, quid facere debeat, aut poſcat adjutorem, quem novit Patrem, ut & nobis nihil deſit, & ego tandem aliquando, ſi quantulumcumque ſpatium mihi hujuſ vitæ donaverit Deus, ipſam meam quantulumcumque vitam non dem ſegniciæ, nec donem inertia, ſed in ſanctis ſcripturis, quantum ipſe permittit, & largitur, exerceam, hoc & ipſi proderit, & per ipſum etiam vobis. Nemo ergo invidet ocio meo, quia meum ocium magnum habet negocium. Video me de hac re, propter quam vos invitavi, omnia vobiſcum egiſſe, quæ debui. Hoc ad ultimum rogo, ut geſtis iſtis dignemini ſubſcribere, qui poteſtis; Hic mihi reſponſione veſtrâ opus eſt, teneam reſponſionem veſtram, de hac aſenſione aliquid acclamatum. A populo acclamatum eſt: *Fiat, fiat: dictum eſt viciſ quinq̄ies. Dignus eſt, juſtus eſt: dictum eſt viciſ octies. Fiat, fiat: dictum eſt quater decies. Olim dignus, olim meritus: dictum eſt viciſ quinq̄ies. Judio tuo gratias agimus: dictum eſt tredecies Exaudi Chriſte,**

Christe, Eradium conserva: dictum olties decies. His peractis Augustinus ad sacra facienda descendit. Superos precaturus, ut eod die gesta Hipponensibus benè verterent. De memoratis Hipponensis populi acclamationibus in Eradii facta per Augustinum electione agit in lib. 7. de Vet. acclamat. & plausu cap. 3. Franciscus Bernardinus Ferrarius V. C. & de sacra juxta, ac profana literaturâ optimè meritis, cuius modò nepos Octavius Ferrarius in hac Academia Patavinâ Oratoriam cathedram moderatur, & ejusdem nominis famam æquat, & extendit; tanta enim est viri eruditio, tanta orationis copia, tantus in dicendo lepor, ut suum iterum Patavinis Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem reflituar. Hoc tamen Livio Octavius felicior visus, quòd illius invisendi gratiâ privatos tantum Romam usque semel profectos accepimus; hic verò omnium literariæ Reipublicæ Procerum oculos in sui admirationem trahit, & summorum Principum munificentiam plenâ manu effusam continenter experitur.

Augustinus novis, iisque assiduis iterum sese laboribus exercuit, ut non ocia invenisse, sed negotia mutasse visus sit, etenim qui hucusque contrâ hæreticos tot, ac tanta bella gesserat, victricia contrâ semet veluti arma convertit, ac editos abs se libros censorio stylo notavit. In his nonnulla, quæ Pelagianis favere à minus intelligente fortè putari poterant, commodè explicat, ut ex libro primo cap. 7. 9. 10. 13. 23. aliisque colligitur. Porro edita opera nonaginta tria in CCXXXII. libros digesta correxit; Duo autem hæc Retractionum volumina anno 426. exeunte inchoasse, & sequenti perfecisse colligunt scriptores ex Eradii electione, quæ ad hoc fuit ab Augustino instituta, ut grande hoc opus exequi posset. Nos altero id argumento probamus. Augustinus anno 418. fuerat Cæsareæ in Mauritaniâ, ibi enim ipsomet teste disputavit publicè cum Emerito ejus loci Episcopo Donatistâ Imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. XII. Kal. Octobris ex initio libri de gestis cum Emerito; octennio verò post scripsit libros Retractionum; nam cum corrigendum suscepisset opus de doctrinâ Christianâ inscriptum, imperfectum illud agnovit: *Libros, inquit, de doctrinâ Christianâ, cum imperfectos comperissem, perficere malui, quam eis sic relictis ad alia retractanda transire:* Lib. 2. Retract. cap. 4. Tertium igitur librum perfecit, *Addidi etiam, inquit, novissimum librum, & quatuor libris opus illud implevi.* At in libro isto quarto inter librorum retractionem elucubrato cap. 24. tradit se ab octennio apud Cæsaream Mauritaniæ dissuasisse populo pugnam civilem, quam lapidibus peragebat: *Et ecce jam ferme octo, vel amplius anni sunt, inquit, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est.* Igitur hæc scribebat anno 426. cum antè octo annos Cæsareenses à tam immani spectaculo luculentâ oratione dimovisset. Hos Retractionum libros completos fuisse anno 427. indè patet, quòd multum operæ ab occupatissimo aliàs viro ea correctio exigebat, cum præsertim libri quidam addendi essent, alii ad umbelicum deducendi. P. Torellus tom. 1. Sæcul. Augustin. anno 426. num. 30. hoc ipsum affirmat, eò quòd Augustinus literis Prosperi interpellatus librum scripsit de Prædestinatione Sanctorum, undè Retractionum libros anno demum 427. terminavit. Sed falso nititur fundamento, nam liber de Prædestinatione

Sanctorum est scriptus post duos libros Retractionum; Do testem ipsum Auctorem libro eodem de Prædest. Sanctor. cap. 3. Denique, inquit, *cum mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractionem stylo prosequerem, cujus operis jam duos absolveram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumpsissem.* Jansenius etiam libros Retractionum inter ultima morientis Augustini scripta reponit, cum tamen Sanctus Doctor triennio superstes fuerit, decemque alios insuper libros ediderit, ut dicemus. Possidius in libro de Vitâ Augustini cap. 28. de hac voluminum recognitione ita scribit: *Antè proximum verò diem infirmitatis obitus sui à se dictatos, & editos recensuit libros, Et postea: Undè etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus de recensione librorum.* Hæc autem quo tempore accipienda sint, statim his significat; *Verùm brevi consequenti tempore divinâ voluntate, & potestate prævenit, ut manus ingens diversis telis armata, & bellis exercitata immanium hostium Vandalorum, & Alaxorum commixtam secum habentes Gothorum gentem, aliarumque diversarum gentium personas ex Hispaniâ parvibus transmarinis navibus Africa influxisset, & irruisset.* At hæc Vandalorum irruptio in Africam accidit anno 427. quæ cum ex Possidio consecuta sit retractionem duorum librorum Retractionum, patet istos anno 427. ex eodem Possidio completos, quod vidit etiam Baronius ad Annum 426. pag. 496.

Augustinus exaratis duobus Retractionum libris, sacras conciones (homilias Græci vocant) Anno 427. Epistolas, & alia, quæ secundo, octavo, nono, & decimo tomo continentur, retractanda suscepit, cum inopinatò in nova prælia à Juliano provocari se sensit. Alipius jam tertio Romam navigarat, ubi cum negotiis expediendis incumberet, cognovit Julianum alterum librum Augustini de Nuptiis, & Concupiscentiâ quatuor abhinc ferè annis abs se ad Valerium Comitem delatum octo adversariis libris impugnasse; quare illorum quinque priores celerrimè transcriptos opportunam occasionem præterire nolens citò citius ad Augustinum transmisit, promittens alios tres quàm primùm transcriptos se missurum, & multum instans, ne responsum differret. Augustinus scribit de his Juliani libris ad Quodvultdeum, cujus Epistolâ præponitur libro de Hæresibus, ex quâ colligimus, quæ hac de re nobis describentur. Anus erat 427. & Alipius Romæ aderat, qui cum ad Bonifacium Pontificem libros quatuor Augustini tulerit, tertio Italicam peregrinationem absque dubio suscepit; cum enim Alipio Româ Juliani libros transmittente Augustinus dicat, se jam duos Retractionum libros absolvisse, quos editos diximus anno 427. Alipius quadriennio ferè Romæ commoratus fuisset, nam Bonifacius anno 423. VIII. Kal. Novemb. objerat; quod cum Ecclesiasticæ eorum temporum disciplinæ repugnet, tertio Alipius Romam venisse dicendus est. Itaque hosce quinque Juliani libros Sanctus Doctor accepit, quando jam retractatis CCXXXII. libris, reliqua opera, quæ quatuor laudatis prægrandibus voluminibus continentur; jam jam censuræ admoturus erat; Et quidè Epistolarum volumen relegerat, at nondum quidpiam indè corrigendo dictarat: hæc sunt ejus verba in Epistolâ ad Quodvultdeum: *Restabant Epistola, & tractatus populares, quos Græci homilias vocant, & plurimas Epistolarum legeram, sed adhuc nihil indè dictaveram*

distaxeram, cum me etiam isti Juliani libri occupare cepissent, quorum nunc quarto respondere cœpi. Ex quibus Jansenius corrigendus venit, qui putat libros de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseverantiæ scriptos esse antè libros posteriores contrà Julianum. Nam cum Juliani libros accepit, testatur Augustinus, terminatis duobus libris Retractionum se quidem Epistolas legisse, sed nihil inde expungendum dictasse; at verò cum cap. 3. de Prædest. Sanctorum dixerit, se jam absolvissè duos libros Retractionum, capite tamen 21. de Dono persev. ait, propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi &c. Ex quibus constat Augustinum, cum scribebat ad Prosperum, jam inchoasse alios libros Retractionum, qui imperfecti postea remanserunt, neque editi sunt; cum tamen acceptis Juliani libris ab Alipio nihil reliquorum operum se retractasse affirmaverit.

Augustinus reliquorum voluminum emendationem altiùs animo infixam tenebat, quàm ut ullà ab incepto opere instantiâ revocari posset; Verùm Alipio etiam atque etiam responsionem per literas urgente manum tabulæ admovit: Cujus, nempe Alipii ait, *instantiâ coactus sum, remissius semper agere, quod agebam, ut operi utrique non dessem, uni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab aliis occupationibus hinc, atque hinc venire non desistentium parceretur.* In Epist. ad Quodvultdeum. Itaque sanctissimus fenex à devicto jam toties hoste provocatus somno horas negabat, quò eundem datis responsionibus confutaret. Hoc postremum contrà Julianum opus eadem prorsùs methodo exaravit, quâ & Faustum Manichæum, & Petilianum Donatistam olim rejecerat; nam quasi alternis sermonibus in præsentia differeret, verba Juliani sub ejus nomine posuit, reddita sub suomet etiam nomine

responsione, tanquam ea fuissent inter disputandum à notariis excepta. Itaque pertinaci labore die, nocteque operi incumbens jam quarto Juliani libro respondere cœperat, cum ad alia distrahitur. Quodvultdeus Diaconus Carthaginensis omnium hæresum catalogum ab Augustino per literas instantanter petiit; ille operis laborem causari, in quo olim Epiphanius magni apud Cyprios nominis Antistes, & apud Latinos Philastrius Brixienfis desudarant: transmissurum se Epiphani codicem græcum, quem ipsemet Quodvultdeus Carthagine per interpretes Latio donaret. Non acquievit Quodvultdeus, sed ab Augustino discere se ea cuncta velle respondit: Epiphanium relatis hæresibus singulis singulas Ecclesiæ contrarias definitiones fortè non subdidisse: prolixius esse Epiphani opus, brevem se indiculi in modum libellum petere; necire se Græcas literas, interpretes verò plerumque difficiles evadere, vel obscuros. Augustinus amicissimi juvenis instantiâ motus refutato quarto Juliani libro volumen de hæresibus unà cum retractionum altero conscribere aggressus est. Porò in fine prioris Operis cap. 88. Pelagianam hæresim ponit, illud tamen imperfectum ad Diaconum misit, non enim hæresum recitationi Ecclesiæ definitiones subtexit; quare librum conclusit: *Ad id, quod restat implendum, quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis.* Cæterum mortuo Sancto Doctore Primasius Episcopus Africanus Augustinianæ doctrinæ studiosissimus, ut ex eisdem in Epistolas Pauli commentariis liquet, idem opus complevit, teste Sancto Isidoro de Eccles. Script. cap. 9. ubi affirmat, Primasium in tribus libris de hæresibus ad Fortunatum Episcopum explicuisse, quod olim beatissimus Augustinus in libro hæresum imperfectum morte interveniente reliquerat.

Finis Libri Primi.

